



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnnitate, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

IX. An, & quid veniat nomine Ecclesiae, quæ gaudeat priuilegio
immunitatis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

Ecclesia, conclus. 11. num. 9. Riccius part. 1. decis. 141. num. 1. 2. & 5. collect. 1390. Giurba conf. 20. n. 3. & seqq. & conf. 70. num. 2. & 13. & conf. 100. num. 18. Leo in praxi fori Eccles. p. 3. cap. 15. num. 27. Lazarius tract. de blasphem. quest. 5. num. 20. Regens de Ponte decis. 14. in fin. Filiucius tom. 1. tract. 15. cap. 6. num. 153. Scortia Epit. tom. 153. Theorem. 385. Duard. in Bull. Cœn. lib. 2. can. 15. quest. 16. num. 27. Megalius in 3. part. lib. 4. cap. 2. q. 1. num. 15. Diana p. 1. tract. 1. res. 1. Villalob. tom. 2. tr. 39. dub. 7. num. 22. & 23. Genuens. in prax. cap. 17. num. 11. Homobon. de exam. Eccles. p. 2. tract. 1. c. 52. q. 26. sup. pos. 3. Rayn. in catal. conf. cap. 9. excom. 31. Confettus in priuileg. Mendicant. tit. 5. cap. 6. Lezana verb. Immunitas Eccles. num. 16. Capiblanco de Baronib. prag. 8. part. 2. n. 105. Francisc. de Castell. tom. 2. decis. 156. n. 32. & nos dicemus iterum infra dubit. 24. sect. 5. & 8.

3 Ratio autem est, quia Pontifex in dicta Constitutione, per *ly tantum*, reducit omnia ad vnicam formam (vt patet ex illis verbis, *ita ad vnam tantum formam reducimus, & moderamus*) ergo reuocat non solum consuetudines, sed etiam ius commune, & multò magis prouinciale, & ampliationes à paritate rationis à Doctoribus factas, sicuti derogat priuilegia quæcumque diuersam aliam formam ab illa, quam ipse Pontifex ibi assignat, introducuntia.

4 Confirmatur, quia Pontifex ibidem expressè enumerat, excipiendo quosdam, & certos casus, qui Ecclesiæ immunitate non gaudeant: ergo nullus alius præter illos remanet à dicta immunitate exclusus. Consequentia probatur, quia exceptio firmat contrarium in casibus non exceptis, seu non expressis, *l. nam quod liquidè, §. fin. ff. de penu legata, & cap. domus, 32. q. 7.* præsertim quia Pontifex excipit per particulam taxatiuam *tantum*, quæ de sui natura impedit extensionem in non exceptis, seu non expressis, *l. si cum exceptione, §. quod si homo, ff. quod metus causa, l. properandum, §. 1. Cod. de indic. & §. 1. in fin. Instit. de stipulat. seruior.* Præsertim secundo, quia Pontifex expressè subdit, quod plures casus, quàm exprimit, ab Ecclesiæ immunitate non excludantur: ergo, &c.

6 Confirmatur secundo, quia Pontifex ibidem expressè derogat quamlibet facultatem (quomodocumque illa à Sede Apostolica emanauerit) contrarium iudicandi, sub qua tam statutum, quàm lex, consuetudo, & Doctorum interpretatio comprehenditur videtur, vt rectè adnotarunt Ambrosin. de immunit. Eccl. cap. 14. Mar. Ital. de immunit. lib. 1. cap. 6. in princip. & Bonac. de immunit. disp. 3. q. 7. punct. 6. n. 4.

7 Confirmatur tertio, quia sic pluries (vt etiam apud Cutellium de immunit. Eccl. lib. 1. q. 1. num. 11. & seqq. videre est) Romæ responsum fuit, tum per Congregationem Cardinalium, tum per Pontifices; quandoquidem Clemens VIII. in specie determinauit, quod homicida industrius, ac invidiosus secundum Bullam Gregorij XIV. immunitate Ecclesiæ gaudere debeat, qui tamen ex cap. 1. de homicid. non gaudet, sed excipitur: ergo signum euident est, quod per dictam Bullam Gregorij XIV. corrigatur ius commune.

Neque dicas cum Cutellio loco cit. n. 51. 66. & 74. quod talis determinatio Clementis VIII. non obliget, quia facta non est conuocatis, auditisque Principibus; quia id non requiritur ad legem, vel declarationem Pontificis, sicuti nec requiritur in legibus aliorum inferioris Ordinis Principum in ordine ad suos subditos. Neque dicas secundo cum eodem Cutellio, quod dicta determinatio Clementis VIII. non obliget, quia facta non est ex Cathedra, quia id solum requiritur ad ea, quæ spectant ad fidem, seu sunt nobis à Deo dicente reuelata, non autem in ordine ad ea, quæ spectant ad mores. Quod vtrumque inde confirmatur, quia alioquin neque Bulla Cœnæ Domini, neque leges Pontificiæ ad mores spectantes, quæ sunt in corpore iuris,

obligarent, quia neque conuocatis, auditisque Principibus, neque ex Cathedra conditæ sunt.

Confirmatur quarto, quia in dicta constitutione Pontifex pluries facit mentionem de iure communi, & quando voluit, quod in robore perseveraret, expressit (vt constat cum loquitur de clericis, Monachis, aliisque personis Ecclesiasticis, & de eorum priuilegiis) ergo è contra, quando non expressit, signum est, quod contrarium intendat.

Confirmatur quinto, quia tandem ibidem Pontifex hæc verba habet: *Quod si quis quacumque dignitate, & auctoritate prædictis præmissorum (nempe indultorum per alios Pontifices concessorum) aut alio quouis prætextu quidquam præter, aut contra huius nostre Constitutionis tenorem attentare presumpserit, eum ipso facto censuras etiam incurrisse declaramus.* Ex quibus verbis clarè constat, quod intentio Pontificis non solum fuerit, priuilegia Principibus concessa, sed etiam omnes consuetudines, aliaque contraria omnia, præter, vel contra formam in dicta Constitutione traditam, introducta reuocare: & idè post factam mentionem de priuilegiis appositum illa verba, *aut alio quouis prætextu, &c.* sed de hac re vide etiam quæ dicuntur infra dubit. 24. sect. 5. & 8. & dubit. 41. sect. 2. n. 20.

DUBITATIO IX.

An, & quid veniat nomine Ecclesiæ, quæ gaudeat priuilegio immunitatis?

SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SUMMARIVM.

- 1 Ecclesia nomine venit quilibet locus auctoritate Episcopi erectus, etiam si actu consecratus, vel benedictus non sit, sed ad publicum sacrificij, & sacramentorum usum deputatus.
- 2 Locus deputatus ab Episcopo ad sacrificia sacer confectus, ideoque nullis temerariis ausibus profanandus.
- 3 Ecclesia, in qua diuina Mystéria celebrantur, licet non consecrata, nullo iure priuilegia immunitatis amittit.
- 4 Oratoria Episcopi auctoritate ad diuina officia deputata gaudent Ecclesiastica immunitate, licet non consecrata, nec benedicta. Secus dicendum de Oratorijs priuatis.
- 5 Ecclesia vt gaudeat immunitate in sententia nonnullorum Doctorum requiritur, vt ibi Sanctissima Eucharistia conseruetur.
- 6 Opinio prædictorum Auctori non arridet, & si in praxi seruetur, deberet esse consuetudo legitime introducta, & præscripta post Concilium Tridentinum, & Bullam Gregorianam.
- 7 Ratio cur Ecclesia concedatur immunitas, non est quia ibi seruatur sanctissima Eucharistia; sed quia locus ad publicè sacra celebranda Episcopi auctoritate sit destinatus.
- 8 Ecclesia, vt immunitate gaudeat in sententia nonnullorum, oportet vt in ea diuina officia celebrari cœperint.
- 9 Ecclesia eo ipso, quo constructa est Episcopi auctoritate, & ad sacra faciendâ determinata, sit quod sit locus sacer, religiosus, & diuinis obsequijs dicatus, licet ibi diuina non celebrentur.
- 10 Hospitale auctoritate Episcopi ad sacrum usum destinatum

sinatum, ita est locus sacer, & religiosus, ut non possit profanis vñibus deferuire.

- 11 Ecclesia non consecrata, nec benedicta, & in qua non asseruatur sanctissima Eucharistia, sed solum auctoritate Episcopi destinata publice ad diuina officia, si polluantur, indiget reconciliatione.

Respondetur, venire quemcunque locum auctoritate Episcopi erectum, etiam si actu consecratus, vel benedictus non sit, sed alia ratione, verbi gratia crucis erectione, ad publicum sacrificij, & sacramentorum vñum deputatus, quia talis locus sacer censetur; ideoque nullis temerariis ausibus profanandus est, cap. Ecclesia, de immunit. Eccles. ibi, Ecclesia, in qua diuina mysteria celebrantur, licet adhuc non existerit consecrata, nullo iure priuilegium immunitatis adimitur, quia obsequijs diuinis dedicata, nullis sunt temerariis ausibus profananda, ubi id explicat Abb. num. 5. Bacconus in 4. disp. 13. art. 1. Suar. tom. 1. de relig. tract. 2. lib. 3. cap. 9. num. 1. Sanchez tom. 2. consil. mor. lib. 6. cap. 1. dub. 7. num. 2. & Sylu. verb. Immunitas 1. quest. 1. qui eadem ratione inferunt, Oratoria etiam immunitate gaudere, si cum Episcopi auctoritate diuinis officiis deputata, licet nec consecrata, nec benedicta sint. Secus dicendum de priuatis Oratorijs, quamvis in iis Pontifex, vel Episcopus licentiam dederit Missam celebrandi, hæc enim immunitate non gaudent, vt infra dicemus, & ex communi notauit Sanchez lib. 9. de matr. disp. 15. n. 4.

Nonnulli tamen Doctores (inter quos Couar. lib. 2. var. cap. 20. num. 4. Iulius Clarus §. fin. q. 30. num. 30. Tuschus verb. Ecclesia, concl. 9. num. 19. Sarpus in lib. de iure Asylorum, c. 4. fol. mibi 39. & Anastas. Germon. de sacrorum immunit. lib. 2. c. 16. num. 26.) vt Ecclesia gaudeat immunitate requirunt, vt ibi sanctissima Eucharistia conseruetur, dicuntque sic in praxi feruari: sed mihi (nisi reuera sic in praxi feruetur per consuetudinem legitime introductam, & præscriptam contra Tridentinum, & Gregorij XIV. Constitutionem) non probatur, quia in dicto cap. Ecclesia, & in alijs iuribus de immunitate loquentibus id non exigitur; tum quia ratio, cur Ecclesiæ concedatur talis immunitas, non est continua Christi sacramentalis presentie ibi conseruatio, sed quod locus ad publica sacra ibi celebranda, auctoritate Episcopi sit destinatus, & sic facer effectus, atque ita ex communi, & probabiliore sententia Doctorum tenet Farinac. quest. 28. num. 34. & in append. de immunit. cap. 17. num. 254. Peregrin. de immunit. cap. 4. num. 2. Mar. Italia lib. 1. cap. 4. §. 3. num. 15. Bonac. disp. 3. quest. 7. punct. 4. num. 2. & Gambacurta lib. 3. c. 4. §. 5.

Nonnulli etiam (inter quos gl. verb. celebratur, & ibi Zabarella, & Butrius num. 2. & 3. Item Innoc. & Hostiens. in cap. inter alias de immunit. Ec. les. verb. ad Ecclesiam, Ambrosin. de immunit. Eccles. cap. 10. num. 2. Tuschus num. 16. & Decian. lib. 6. cap. 24. num. 24.) requirunt vt saltem ibi diuina celebrari ceperint; idque ex eo quod, cum in cit. cap. Ecclesia, dicatur, non adimi priuilegium immunitatis Ecclesiæ, in qua diuina Mysteria celebrantur, consequens sit a contrario sensu, adimi, si in illa non celebrentur. Sed mihi etiam id non probatur, quia hoc ipso, quod Ecclesia est auctoritate Episcopi primum lapidem ponentis constructa, & ad sacra facienda destinata, sit, quod sit locus sacer, & religiosus diuinis obsequijs dicatur: Et si ibi diuina non celebrantur, est per accidens, cum sufficiat, quod solum possint celebrari, vt mox infra, sect. 4. dicetur, & docent ex communi Sylu. verb. immunitas 1. num. 2. & Sanch. tom. 2. consil. moral. lib. 6. cap. 1. dub. 7. num. 2.

Confirmatur responsio in principio posita, quia ex hac deputatione Episcopi ad sacra ibi facienda, & sic

ex loci aptitudine, vt in ipso diuina possint celebrari, Ecclesia, vel saltem locus sacer, & religiosus nominatur: ergo.

Confirmatur secundo, quia (vt habetur in cap. ad hoc, de religiosis domibus) (Hospitali auctoritate Episcopi ad sacrum vñum destinatum, ita est locus sacer, & religiosus, vt non possit profanis vñibus deferuire: ergo idem multo magis dicendum est de Ecclesia auctoritate eiusdem ad sacra mysteria facienda destinata.

Confirmatur tertio, quia si talis Ecclesia, vel locus pius effusione sanguinis, vel seminis illicita polluantur, de iure reconciliatione indiget, vt supra cap. 2. dub. 2. dicebamus, & probat textus cum gl. ibi, verb. non consecrata, in cap. si Ecclesia, de consecrat. Eccles. ergo si gnum est, quod sit locus sacer, & sic quod gaudeat priuilegio Immunitatis.

Atque ita ex communi docent Angelus verb. Ecclesia, filliucius tract. 15. cap. 6. q. 5. n. 150. Sylu. verb. Immunitas 1. q. 1. Azor part. 2. lib. 9. num. 2. & segg. Farin. q. 28. num. 34. & in append. de immunit. c. 17. n. 258. Suar. lib. 3. c. 9. n. 2. Peregrin. de immunit. c. 4. n. 7. Raphaël de la Torre tom. 2. in 2.2. q. 99. art. 3. disp. 7. Ludouic. Correa in relect. de immunit. p. 2. n. 8. Mar. Ital. lib. 1. c. 4. §. 3. n. 8. Gambacurta lib. 4. cap. 4. num. 6. & Bonac. disp. 3. de primo Decalog. præcept. q. 7. §. 2. n. 2. qui ad fundamentum oppositum Aduersariorum respondent, vt mox infra sect. 4. respondebitur.

SECTIO II.

An priuilegio immunitatis gaudeat Ecclesia non perfecta constructa?

SUMMARIUM.

- 1 Ecclesia eo ipso, quod auctoritate Episcopi constructa cepit, dicitur locus diuinis obsequijs dicatus, & gaudet priuilegio immunitatis, si successiue, & continuo construat.
- 2 Ecclesia si constructa desistat, non gaudet immunitate Ecclesiastica, quia tunc potius est locus desertus, quam domus orationis. Sed hæc opinio non aridet.

Respondetur affirmatiue, quia hoc ipso, quod auctoritate Episcopi constructa cepit, dicitur locus diuinis obsequijs dicatus, & sic sacer, vt supra sect. 1. dicebamus, & docent etiam Abb. in cap. Ecclesia, de immunit. Eccl. n. 5. & ibid. Anchar. num. 1. Sanch. de matr. lib. 9. disp. 15. n. 39. & Farinac. in cit. c. 17. num. 261. Quamvis id limitet Mar. Ital. de immunit. Eccles. lib. 1. cap. 4. §. 3. n. 15. & segg. vt procedat, si continuò, & successiue construat, secus si constructa desistat, quia tunc (inquit ipse) potius est locus desertus, quam domus orationis: sed huius Doctoris ratio non conuincit, quia ob cessationem ab edificio, deputatio ad sacra facienda non adimitur: unde si sanguinis, vel seminis effusio illicita ibi contingat, violatur. Vide Sanch. loc. supra cit.

SECTIO III.

An eodem priuilegio gaudeat Ecclesia polluta, etsi nondum reconciliata?

SUMMARIUM.

- 1 Ecclesia polluta gaudet priuilegio immunitatis, quia ratione pollutionis non desistit eius sanctitas.
- 2 Ecclesia

² *Ecclesia, ut priuatur immunitate ob pollutionem, non requiritur in iure expressum, & pollutio non priuat ipsam suo priuilegio.*

¹ **R**espondetur affirmatiue; quia ratione pollutionis non definit eius sanctitas, ut non sit locus sacer; tum quia Ecclesias propter pollutionem dicto priuilegio priuari, gratis dicitur; cum id nusquam in iure reperiatur, & inter effectus pollutionis (sicut & ² interdicti, non sit, ut pro eo tempore Ecclesia immunitate priuatur; quia hæc iuris censura, seu impedimenta, cum sint poenalia, & odiosa, extendi non debent ultra casus de iure expressos, nec debent pollutio, & interdictum plus operari, ac Canones præscribunt: ergo, &c. atque ita docent Suarez, & Bonacina in loco supra cit. Item Abb. in cap. Ecclesia, de immunit. Eccles. Sylu. verb. Immunitas 1. quest. 1. Clar. §. practica criminal. quest. 30. num. 3. Tuschus verb. Ecclesia, conclus. 9. num. 9. Azor. p. 2. tom. 2. lib. 9. cap. 8. quest. 4. Scortia theor. 385. Marfilius in leg. unic. Cod. de raptu Virg. num. 116. Laym. lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 2. Fagundez prac. 2. lib. 4. cap. 4. num. 62. Raphaël de la Torre tom. 2. in 2. 2. q. 99. art. 3. disp. 7. Peregrin. de immunit. cap. 4. num. 14. Correa in relect. de immunit. p. 2. num. 9. Lezana verb. Immunitas Eccles. n. 2. Farinac. in append. de immunit. c. 17. num. 29. Villalob. in summ. tom. 2. tract. 39. diff. 5. n. 1. & Mar. Italia lib. 1. cap. 4. §. 3. num. 7.

SECTIO IV.

An eodem priuilegio gaudeat Ecclesia interdicta?

SUMMARIVM.

- ¹ *Ecclesia interdicta gaudet priuilegio immunitatis.*
- ² *Ecclesia non perdit esse sacrum per interdictum.*
- ³ *Clericus non perdit sua priuilegia per interdictum.*
- ⁴ *Ecclesia interdicta, quod solum gaudeat priuilegio immunitatis quoad Peregrinos, non autem quoad homines de populo, qui causam dederunt interdicto, limitatur ab aliquibus.*
- ⁵ *Ecclesia, si per accidens in ipsa non possit celebrari, dummodo per se possit, gaudet immunitate.*

¹ **R**espondetur, quod propter easdem rationes mox supradictas, eodem priuilegio etiam gaudeat Ecclesia interdicta. Et confirmatur, quia Ecclesia non perdit esse sacrum ob interdictum; tum quia clericus non perdit sua priuilegia ob interdictum: ergo nec Ecclesia; atque ita docent Suarez, Bonacina, Abbas, Sylu. Clar. Tuschus, Azor, Scortia, Marfil. Layman, Fagundez, Raphaël de la Torre, Peregrinus, Correa, Lezana, Mar. Italia & Villalobos in locis supra cit. Item Farinacius quest. 28. num. 35. & in append. de immunit. cit. cap. 17. num. 259. & Decian. tom. 2. lib. 6. cap. 25. num. 20. qui tamen non omnino ⁴ improbabiler contra Tuschum, Peregrinum, & alios limitando id asserit quoad peregrinos, non item quoad homines de populo, propter quorum delictum Ecclesia interdicta est.

Obiicies: In Ecclesia interdicta non possunt celebrari diuina officia: ergo immunitate non gaudet. Vt enim immunitate gaudeat, requiritur ex cap. Ecclesia, de immunit. Eccles. quod in ipsa diuina officia celebrentur.

⁵ Respondetur, nego consequentiam. Et ad probationem eius respondeo, ut supra, quod ad hoc, ut Ecclesia immunitate gaudeat, non opus sit, quod in ipsa celebrentur acta diuina officia, sed sufficiat, quod sit

locus ad id Episcopi auctoritate deputatus, ut scilicet ibi per se, si non per accidens, possint illa celebrari. Vide Doctores, qui supra citabantur.

SECTIO V.

An eodem priuilegio gaudeat Ecclesia diruta?

SUMMARIVM.

- ¹ *Ecclesia etiam diruta gaudet immunitate, quia saltem ratione soli, in quo posita erat, non definit eius sanctitas.*
- ² *Limita si non sit diruta de licentia Episcopi cum spe reedificationis.*
- ³ *Ecclesia diruta de licentia superioris, perdit omnia priuilegia.*

Respondetur affirmatiue; quia saltem ratione soli, in quo posita erat, non definit eius sanctitas, ut non sit locus sacer, & amittat sua priuilegia, ut indulgentias, &c.

Quod tamen intellige, si diruta, seu destructa non fuerit auctoritate superioris, & cum spe reedificationis; quia si auctoritate superioris, & sine spe reedificationis destructa fuerit, definit esse locus sacer, & fit profanus, ut proinde non solum priuilegium immunitatis, sed etiam cætera omnia priuilegia deperdat.

Atque ita habetur in l. ad sacra, ff. de contrab. empt. & l. in tantum, §. sacra, in fin. ff. de rer. diuis. ex communi contra Ludouicum Corream in relect. de immunit. Eccles. p. 2. num. 10. & nonnullos alios, docent Tuschus verb. Ecclesia, conclus. 9. num. 10. Decian. lib. 6. cap. 24. n. 27. & cap. 25. num. 22. Clarus pract. §. fin. quest. 30. Farinacius de carceribus quest. 28. num. 70. & in append. de immunit. cap. 17. num. 260. Gambacurta de immunit. lib. 4. cap. 2. num. 11. Mar. Italia de immunit. lib. 1. cap. 4. §. 3. num. 4. Ambrosin. de immunit. cap. 10. num. 3. Sanchez in opuscul. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 7. num. 2. lib. 9. de matrim. disp. 15. num. 37. in fin. Scortia cit. theorema 385. Carolus Maranta p. 2. respons. 35. n. 2. Diana p. 6. tract. 1. resol. 1. Barbosa de iure Ecclesiast. lib. 2. c. 3. n. 62. Lezana num. 2. & Bonacina disp. 3. q. 7. de immunit. §. 2. n. 4. & videri etiam poterunt quæ lib. de Parlamentis, dubit. 4. sect. 19. subsect. 30. Collat. 5. dicebantur.

SECTIO VI.

An eodem priuilegio gaudeat Ecclesia solum quoad ambitum internum?

SUMMARIVM.

- ¹ *Ecclesia non solum quoad ambitum internum, sed etiam quoad totam fabricam gaudet immunitate.*
- ² *Capella, valus, fersa, tectum, sacristia, parietes, & turres etiam in suis Ecclesia gaudent immunitatis priuilegio.*
- ³ *Ecclesia non polluitur per sanguinis, vel seminis effusionem factam in dictis locis.*
- ⁴ *Pollutionis effectus cum sit poenalis, & odiosus, non excedit ambitum Ecclesia, secus est de priuilegio immunitatis, quod est gratiosum, & fauorabile.*
- ⁵ *Apprehendens manibus valuas ostij Monasterij Monialium non violat claustrum Monialium, & tamen apprehendens valuas Ecclesia gaudet Ecclesiastica immunitate.*

6 Confugiens

- 6 Confugiens ad portas Ecclesie, etiamsi clausas illas inueniens, easdem, vel illarum ansum, vel vctes manibus apprehendat, gaudet Ecclesiastica immunitate.
- 7 Spatia immunitatis protenduntur vsque ad extremas fores.
- 8 Ecclesia & domus appellatione venit ostium.
- 9 Confugiens supra tectum Ecclesie, necnon supra tectum Palatii Episcopalis, Monasterij, Hospitalis, vel cuiuscunque alterius loci pij, gaudet Ecclesiastica immunitate.
- 10 Ecclesia, sicut & qualibet alia domus, non solum ex solo, sed etiam ex tecto, eiusque superficie constat.
- 11 Confugiens ad scalas Ecclesie, quia & he pertinent ad Ecclesiam, & cum Ecclesia adhaerant, religiosae reputantur, gaudet Ecclesiastica immunitate.
- 12 Confugiens ad Campanile, quod sit Ecclesia coniunctum, in omnium Doctorum sententia, si disjunctum, in sententia Nauarri gaudet immunitate Ecclesiastica.
- 13 Palatium Episcopi gaudet immunitate, etiamsi sit ab Ecclesia disjunctum.
- 14 Campanile plus spiritualitatis habet, quam Palatium Episcopi, cum ibi adsint campana oleo sancto consecrata, & ibidem exercentur opera pia, quando in Dei honorem campana pulsantur.
- 15 Palatio Episcopi conceditur immunitas simpliciter, & ratione dignitatis Episcopalis, & sic mirum non est, si gaudeat immunitate, quamvis sit disjunctum ab Ecclesia, & quamvis non habeat oratorium, sed sacellum, in quo Missa celebratur.
- 16 Non omnia loca, in quibus exercentur opera pia, gaudent immunitate.
- 17 Oratoria priuata domorum licet in ipsis Missa celebretur, fideles constentur, & Eucharistiam sumant, non gaudent immunitate.
- 18 Campanile disjunctum ab Ecclesia si distet ab illa intra triginta passus, gaudet immunitate ex determinatione S. Congregationis Episcoporum, & immunitatis.

Respondetur, quod priuilegio gaudeat Ecclesia, non solum quoad ambitum internum, sed etiam quoad totam fabricam, ita vt Capellae, valuae, ferta, tectum, sacristia, parietes, & turres etiam ipsius tali priuilegio gaudeant; quia omnes hi loci in lata significatione Ecclesiae dicuntur; & quia satis clare sic colligitur ex l. pateant, Cod. de his, qui ad Eccles. confug. ex l. qua religiosis, ff. de rei vendic. ibi: *Que religiosis adherent, religiosa censentur*; & ex cap. si quis in arrio, & ex cap. id constituimus, 17. quest. 4. vbi decernitur, atrium Ecclesiae, vel porticum gaudere immunitate: ergo eodem priuilegio gaudebunt tectum, parietes, & alia ad Ecclesiae fabricam pertinentia.

Neque obstat, quod sanguinis, vel seminis effusio in dictis locis facta, Ecclesiam non polluat, sicut docet gloss. in cap. vnic. verb. Sanguis, de consecrat. Eccles. & Doctores, quos ad satietatem refert, & sequitur Persicus de offic. sacerdot. lib. 1. cap. 7. dub. 9. numero 89. quia ad effectum pollutionis (cum sit penalis, & odiosus) solum internus ambitus Ecclesiae spectatur, secus quoad priuilegium immunitatis, quod est gratiosum, & fauorabile: quapropter hoc a iure, & consuetudine optima iuris interprete, magis extenditur, quam Ecclesiae pollutio, sicuti supra, cap. 2. dubit. 2. dicebamus; & probatur ex textu in l. pateant, Cod. de his, qui ad Ecclesiam con-

fugiunt, vbi dicitur: *Quidquid fuerit interiacens, siue in cellulis, siue in domibus, hortulis, balneis, atque porticibus, confugas interioris templi vice teneantur*. Item ex textu in cap. frater, cap. si quis contumax, cap. illud constituimus, & cap. si quis in arrio, 17. quest. 4. Item a simili, quia manibus apprehendens valuas ostij Monasterij Monialium non violat claustrum Monialium, & tamen apprehendens valuas Ecclesiae gaudet immunitate Ecclesiae, vt mox infra ex communi dicitur; quia (vt dicebam) illa est materia penalis, haec autem fauorabilis, & sic illa restringenda, haec autem amplianda; quapropter ita etiam docent Decianus lib. 3. consil. 80. numero 19. & 22. Fagundez praecept. 2. lib. 4. cap. 4. num. 63. Suarez de relig. lib. 3. cap. 9. num. 6. & sequentibus. Tuschus verb. Ecclesia, conclus. 9. num. 3. & 7. & conclus. 20. per 10. & verb. Immunitas, conclus. 59. num. 5. Farinacius in append. de immunit. cap. 17. num. 168. Ambrosin. de immunit. cap. 10. num. 6. Sperellus decis. 63. num. 10. Diana part. 6. tract. 1. resol. 1. in fin. Bonac. disp. 3. quest. 7. de immunit. §. 2. num. 5. & alij passim.

Ex dictis sequitur primo, quod securus sit, qui confugit ad portas Ecclesiae, etiamsi clausas illas inueniens, easdem, vel illarum ansum, vel vctes manibus apprehendat; quia saltem talis adharet Ecclesiae, & quia ita habetur in iuribus supra cit. praecipue in citat. cap. si quis, 17. quest. 4. vbi declarantur spatia immunitatis vsque ad extremas fores (vbi nota ly extremas) & merito; quia appellatione Ecclesiae, sicuti appellatione domus (ex l. si aqueductum, Cod. de contrahend. empt. praesertim in fauorabilibus, vt notat Vincentius de Franchis decis. 402. num. 11. & Sperellus decis. 60. num. 38.) venit ostium; atque ita docent Suarez, & Bonacina vbi supra. Igneus in l. 1. ff. ad Syllanian. affirmans, sic saepe dictum: Decian. consil. 6. cap. 25. num. 17. Nauarrus cap. 25. num. 17. ad fin. Farinacius de carcer. quest. 28. num. 24. & in append. de immunit. cap. 17. num. 279. Sanchez in opus. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dubit. 7. num. 2. Couarr. var. resol. lib. 4. cap. 20. num. 18. Gambacurta lib. 4. cap. 1. num. 9. Megalium in 3. part. lib. 4. cap. 2. quest. 2. num. 37. Correa in relect. de immunit. part. 2. num. 16. Villalob. tom. 2. tract. 39. diff. 5. num. 4. Diana part. 6. tom. 1. resol. 3. Bobadilla in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. num. 81. Carthar. decis. crimin. 7. num. 1. & 11. Locatell. in Breviar. de tortura, inspect. 5. num. 163. & alij communiter; quidquid in contrarium dicat Ioannes de Vilschis num. 12. & Sarpus de iure Asylorum, cap. 3. fol. 41. An autem securus etiam sit qui confugit ad Ecclesiae parietes, quoad partem exterioriorem manibus illos similiter apprehendendo, dicitur infra sect. 8. in fin.

Sequitur secundo, quod securus etiam sit, qui confugit supra tectum (idemque dicas cum Sperello decis. 63. num. 9. & Diana, part. 6. tom. 1. resol. 3. de eo, qui confugit supra tectum palatii Episcopalis, Monasterij, Hospitalis, vel cuiuscunque alterius loci pij) quia talis verè est in Ecclesia, cum in eo loco quis verè sit, in quo pedes habet; vnde Corpus Christi verè est in Caelo, quamvis à caelo non circumdetur, sed pedibus solum illud calcet; & Monialis verè est in clausura, quæ pedes habet super tectum clausuræ; tum quia talis verè in situ Ecclesiae existit; cum Ecclesia, sicut & qualibet alia domus, non solum ex solo, sed etiam ex tecto, eiusque superficie constat, vt habetur in l. eum qui, in princ. ff. de usucapionib. & ita contra Sarpum loc. supra cit. docent ibi gl. Suarez de relig. lib. 3. cap. 9. n. 8. Layman lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 3. Correa in relect. de immunit. part. 2. n. 16. Sperellus cit. decis. 63. num. 9. Farinacius quest. 28. num. 14. & in append. de immunitate, cap. 17. num. 272. Fagundez de praecept. Eccles. praecept. 2. lib. 4. cap. 4. num. 63. Acuña de iur. lib. 1. cap. 7. dubit. 13. numero 20. ad fin. Peregrin. de

de immunit. cap. 4. num. 40. Perficus de offic. sacer. lib. 1. c. 9. dub. 11. num. 98. Mar. Ital. de immunit. Eccles. lib. 1. c. 4. §. 9. num. 24. & sequent. Bonac. tom. 3. in Bulla Cæna, disp. 2. quest. 3. punct. 16. num. 14. & 20. Villalob. in summ. tom. 2. tract. 39. difficult. 5. num. 3. & Diana tract. 1. resol. 73.

Et hoc aded verum est, vt non possit delinquens capi per eam pallij partem, quæ prominet extra tectum, valuas, aut alium locum immunem, quia adhuc diceretur, extrahi è loco immuni. Decian. tom. 2. lib. 6. cap. 25. num. 17. Suarez cap. 9. num. 8. & cap. 12. num. 4. Conarru. lib. 2. var. cap. 20. num. 16. Azor quest. 5. Peregrin. cap. 4. num. 18. Quin neque possit capi per aliquam corporis partem, quam delinquens habet extra locum sacrum, vt si extrahatur brachio, vel pede extra locum sacrum extenso, reliquis principalibus corporis partibus intra locum sacrum existentibus, quia adhuc diceretur extrahi è loco sacro. Suar. & alij in locis supra cit. Secus si ambobus pedibus existat in via publica, & solum humeris attingat parietem Ecclesiæ, nisi manibus apprehenderit terram, vel valuas Ecclesiæ, sicuti supra dicebam.

Obiicies, qui manibus apprehendit valuas ianue Monasterij Monialium, non dicitur esse in Monasterio Monialium, alioquin esset reus violationis clausuræ Monialium: ergo neque qui apprehendit valuas, aut ferram ianue Ecclesiæ, dici debet esse in Ecclesia.

Respondetur, quod disparitas est, quia clausura nõ violatur, nisi ingressu intra claustra Monasterij; immunitas autem Ecclesiæ non restringitur ad interiorem ambitum, sed extenditur etiam ad partes exteriores Ecclesiæ, sicuti supra dicebam. Consequenter immunitas Ecclesiæ violatur, etiam si quis capiat aliquem in ianua existentem, vel valuas apprehendentem: nec mirum esse debet, quia illa est materia pœnalis, & sic restringenda, hæc autem est materia fauorabilis, & sic extendenda.

11 Sequitur tertio, quod securus etiam sit, qui confugit ad scalas Ecclesiæ, quia & hæc pertinent ad Ecclesiam, & cum Ecclesiæ adhæreant, religiosæ reputantur, atque ita docent Angel. de malefic. vers. quod fama publica, num. 59. Tusch. verb. Ecclesia, concl. 10. num. 5. Sperell. decis. 60. num. 14. Diana part. 6. tract. 1. resol. 1. Nouarius in summ. Bullar. cit. de immunit. num. 50. & ex declaratione S. Congregationis Farinac. in append. num. 280. & quest. 28. num. 14. & Barbosa de iure Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 66. Dixi, ad scalas Ecclesiæ, quia securus dicendum est, si scalæ pertineant ad publicam viam, eiusque sint pars. Farinac. in cit. append. num. 281. & 288.

12 Sequitur quarto, quod securus etiam sit, qui confugit ad Campanile, & quidem si Campanile sit Ecclesiæ coniunctum, docent omnes: si autem sit ab Ecclesia disiunctum, docet non improbabiler Nouarius in summ. Bullarum, tit. de immunit. Eccles. num. 26. à pari ex eo, quod Palatium Episcopi immunitate gaudet,

13 etiam si sit ab Ecclesia disiunctum; quinimò campanile plus spiritualitatis habet, quàm palatium Episcopi, cum ibi adsint campanæ oleo sancto consecratæ, & ibidem exerceantur opera pia, quando in Dei honorem campanæ pulsantur; quapropter vulgò Turris sacra vocatur.

15 At responderi posset, quod dispar ratio sit de Campanili, & de Palatio Episcopi, quia Palatio Episcopi (vt infra dicitur) conceditur immunitas simpliciter, & ratione dignitatis Episcopalis, & sic mirum non est si gaudeat immunitate, quantumvis sit disiunctum ab Ecclesia, & quamvis Oratorium, seu Capellam, in qua Missa celebretur, non habeat, vt ibidem dicitur. Ad id verò, quod subditur, quod in campanili exer-

16 ceantur opera pia, quando in honorem Dei Campa-

næ pulsantur: Responderi posset, quod non omnia loca, in quibus exercentur opera pia, immunitate gaudeant. Nam in Oratoriis priuatis domorum celebratur sacrificium Missæ, & in iisdem fideles confitentur, & Eucharistiam sumunt, & tamen immunitate non gaudent, vt ex supra dictis colligitur, & infra dicitur. Quapropter quod campanile disiunctum ab Ecclesia, si distet ab illa intra triginta passus, solum gaudeat immunitate, determinauit sacra Congregatio Episcoporum die 17. Nouembris 1627. & Congregatio immunitatis, die 9. Decembris 1631.

SECTIO VII

An eodem priuilegio gaudeat Ecclesia quoad loca adhærentia?

SUMMARIUM.

- 1 Claustrum, porticus, ambitus, dormitorium, & cetera loca, seu habitacula quolibet modo Ecclesiæ adhærentia gaudent immunitate.
- 2 Quæ Religiosis adhærent, religiosa sunt.
- 3 Cellula, hortus, & adhærentia gaudent immunitate.
- 4 Confessio in Ecclesia cubare, aliaque corpori necessaria peragere opus non habent.

R Espondetur, quod eodem priuilegio etiam gaudeat Ecclesia quoad claustrum, atrium, seu porticum, ambitum, dormitorium, & cetera loca, seu habitacula quolibet modo ipsi adhærentia, sicuti dicitur in l. si quis contumax 17. quest. 4. vbi gloss. verb. adhærentibus, allegat: & in l. ff. de rei vindic. ibi: Quando religiosi adhærent, religiosa sunt, & probatur, quia hæc omnia, vel sunt de fabrica Ecclesiæ, vel sunt Ecclesiæ annexa; atque ita etiam habetur expressè in cap. si quis in arrio, cap. frater, eadem 17. quest. 4. & in l. pateant, Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugium. Vbi de cellulis, hortis, ac adhærentibus eadem immunitate potiendis adicitur, data quoque causa, vt confugæ in Ecclesia cubare, aliaque corpori necessaria peragere opus non habeant, argum. l. penult. ff. de oper. liberi. ibi: In omnibus tempora ad curam corporis necessaria relinquenda: & docet Abb. in cap. Ecclesia, de immunitate Eccles. num. 18. & probat ex cit. cap. si quis. Idem docent Nauar. cap. 26. num. 17. Tusch. verb. Ecclesia, concl. 9. & concl. 20. Suarez cap. 9. num. 7. Barbosa num. 64. Lezana num. 4. Azor tom. 2. lib. 9. cap. 8. quest. 7. Scortia theor. 385. Sperellus decis. 60. num. 14. Nouarius in summ. Bullar. tit. de immunitate, num. 56. Diana p. 6. tract. 1. resol. 1. & Farinac. de carcerib. quest. 28. n. 14. & in append. de immunitate, c. 17. n. 268.

SECTIO VIII.

An eodem priuilegio gaudeat Ecclesia quoad confines?

SUMMARIUM.

- 1 Ecclesia gaudet priuilegio immunitatis, etiam quoad confines.
- 2 Ecclesia Cathedralis, seu maior, gaudet per 40. passus per circuitum; minor autem per 30.
- 3 Quilibet passus supradictorum continere debet quinque pedes, & quilibet pes quindecim digitos.
- 4 Passus prædicti numerari debent ab ostio, seu muro Ecclesiæ.

5 Passus

- 5 Passus prædicti numerandi sunt à cæmeterio, si Ecclesia illud habeat annexum.
- 6 Privilegium immunitatis per circuitum 30. vel 40. passuum, procedit solum in Ecclesiis, quæ sunt extra murorum ambitum, non autem in Ecclesiis intra muros populi contentis, contra nonnullos.
- 7 Privilegium immunitatis per circuitum 30. vel 40. passuum procedit in eo, qui iam ad Ecclesiam confugit, & ex illa progreditur per 30. vel 40. passus, non autem in eo, quem Ecclesia nondum iam recepit.
- 8 Processus confuge per 30. vel 40. passus ab Ecclesia, debet esse ad requisitum naturæ & sum. v.g. ad ventrem exonerandum.
- 9 Amplia quod si intra dicta spacia non sit locus opportunus ad naturæ necessaria, possit ultra progredi, & finita necessitate, statim debet ad Ecclesiam redire.
- 10 Spacium 30. vel 40. passuum habebat locum quando nondum erant tot Ecclesiæ, unde domus Parochorum, & Canonicorum existentes prope Ecclesias in prædictis confinis, immunitate etiam gaudebant.
- 11 Cæmeterij ambitus nunc tantum gaudet circuitu prædictorum passuum.
- 12 Confugiens ad domum Parochi, Canonici, vel alterius Ecclesiasticæ personæ etiam existentis intra spatium prædictum, non gaudet immunitate, præsertim si talis domus sit laico locata, vel ad emphyteusim concessa, contra nonnullos.
- 13 An autem, si quis fugiens à Birruariis Ecclesiæ parietem ex parte exteriori tangat, vel amplectatur, Ecclesiæ immunitate gaudeat? est dissensio inter Doctores. Auctor autem sequitur tenentes pro affirmativa.
- 14 Ecclesiæ appellatione non venit pars parietis exterior, quæ etiam publicè spectat, & reus tangens dictam parietem, non dicitur esse in Ecclesia.
- 15 Quæ adhaerent sacris sacra censeri debent.
- 16 Accusatorium sequitur naturam sui principalis.
- 17 Privilegia immunitatis in dubio non sunt restringenda, sed potius amplianda.

Respondetur, quod eodem privilegio etiam gaudeat Ecclesiæ, quoad confines, cap. sicut antiquitus 17. quæst. 4. cap. quisquis, & cap. definitur, eadem causa, & quæst. 1. præsentis, §. ex his, Cod. de his qui ad Ecclesiam confugiunt, & docent Suares tract. 1. lib. 3. cap. 9. num. 8. & Farinac. quæst. 28. num. 14. & seq. & in append. de immunit. cap. 18. n. 283. & alij multi: ita ut Ecclesiæ Cathedralis, seu maior gaudeat per 40. passus per circuitum, minor autem per 30. cit. cap. sicut antiquitus 17. quæst. 4. & cit. cap. definitur, eadem causa, & quæst. & docent Covarru. lib. 2. var. res. cap. 20. Nauar. cap. 25. num. 18. Tusch. verb. Ecclesiæ, concl. 9. & 19. & verb. Immunitas, concl. 59. Suar. lib. 3. cap. 9. n. 8. Farinac. quæst. 28. num. 14. & in append. de immunit. cap. 18. num. 284. Scortia theore. 385. & Germon. de sac. immunit. lib. 3. cap. 16. num. 38. Qui passus (ita scilicet ut quilibet eorum contineat quinque pedes, & quilibet pes contineat quindecim digitos, ex Glossa in cit. cap. sicut antiquitus 17. quæst. 4. in verb. Passus, Farinac. cit. cap. 18. num. 286. Tusch. cit. concl. 59. num. 2. & aliis communiter supra citatis contra Covarru. cap. 20. num. 5. & quoddam alios, qui putant, pedem continere mensuram sexdecim digitorum transversorum) numerari debent, non à candelabro posito in Ecclesia, ut quidam sentiunt, sed ab ostio, vel muro Ecclesiæ, ut satis indicat verbum per circuitum, alioquin enim Ecclesiæ non diceretur gaudere immunitate per tantam distantiam, per quantam dicitur, ut recte docent Decian. in tract. crim. lib. 9. cap. 22. lib. 5. quæst. 1. num. 18. Farinac. in ap. Thom. Delbene, de Immunit. Eccl. Pars I I.

pend. immunit. cap. 18. num. 285. & 286. & Ambrosin. de immunit. Eccl. cap. 10. num. 4. Quamvis si Ecclesiæ habeat cæmeterium annexum contiguum, numerari debeant à cæmeterio, & sic intelligo Tusch. verb. Ecclesiæ, concl. 9. num. 3. & 4. Farinac. in append. cap. 18. n. 287. & Decian. tract. crim. lib. 6. cap. 25. num. 9. quatenus docent, quod Ecclesiæ per circuitum privilegium immunitatis gaudeat, etiam si ipsius circuitus, & territorium 40. passus excedat.

Cæterum, quod dixi de privilegio immunitatis per circuitum 30. vel 40. passuum, intellige primò, quod procedat in Ecclesiis, quæ sunt extra muros, non autem in Ecclesiis in ciuitate constructis; atque ita colligitur ex cap. quisquis 17. quæst. 4. & docet Gloss. in cap. sicut antiquitus, & verb. Passus 17. quæst. 4. Tuschus verb. Ecclesiæ, conclus. 9. num. 5. & 6. Suarez cap. 8. num. 3. & cap. 9. num. 9. Farinacius de carcerib. quæst. 28. num. 12. & in append. de immunit. cap. 18. num. 290. Decian. lib. 6. cap. 25. num. 6. Anastas. Germon. de immunit. Eccl. lib. 3. cap. 16. num. 40. Ambrosin. de immunit. cap. 10. num. 4. Sarp. de iure asylo. cap. 4. fol. 39. & Bonac. disput. 3. quæst. 7. de immunit. §. 2. num. 5. quamvis contrarium, & non improbabiler, sentiant alij, inter quos Peregrinus de immunit. cap. 4. num. 33. & Diana part. 6. tract. 1. res. 2.

Intellige secundò, quod procedat in eo, qui iam ad Ecclesiam confugit, & ex illa progreditur per 30. vel 40. passus, non autem in eo, quem Ecclesiæ nondum iam recepit, atque ita habetur ex cap. definitur 17. quæst. 4. ibi: Qui Ecclesiæ petunt per omnia licitum eis est in 30. passus ab Ecclesiæ ianuis progredi: & contra Tuschum verb. Immunitas, conclus. 59. num. 1. & sequent. & Antoninum Dian. part. 6. tract. 1. res. 2. docent DD. mox infra citandi. Deinde requiritur, quod huiusmodi progressus ad requisitum naturæ vsum (verbi gratia ad ventrem exonerandum) sit, ut constat ex illis verbis: Qualiter ad requisitum naturæ & sum debet exeat locus, & nullo teneatur euentu necessitudinis, qui dominici se defendendos commiserint claustris, quamvis, si non sit alius locus ad talem requisitum naturæ vsum opportunus intra terminum 30. vel 40. passuum, & finita necessitate statim ad Ecclesiam homo redeat, poterit ultra dictum terminum 30. vel 40. passuum exire. Vide Decianum in tract. crimin. lib. 6. cap. 27. numero 6. in fin. Farinac. in append. de immunit. cap. 18. num. 293. Mantua cons. 6. num. 17. & seqq. & Mar. Ital. de immunit. Eccl. lib. 1. cap. 4. §. 7. num. 12. & cap. 6. §. 2. num. 26.

Intellige tertio, quando nondum erant tot Ecclesiæ (unde factum videtur, quod domus Parochorum, & Canonicorum existentes prope Ecclesias in prædictis confinis immunitate etiam gauderent: quæ de re Decian. cap. 25. num. 16. Ambrosin. cap. 10. n. 8. & Scortia theore. 385.) secus de consuetudine, quam contra Tuschum verb. Immunitas, conclus. 59. numero 1. & 2. Peregrinus de immunit. cap. 4. num. 33. in fin. & Antoninum Dian. part. 6. tract. 1. res. 2. testantur nunc esse in contrarium Suarius lib. 3. cap. 9. numero 8. Nauar. cap. 25. num. 18. Covarru. lib. 2. var. res. cap. 20. num. 5. Clarus §. practica criminalis, quæst. 30. num. 1. Vulpell. consil. 230. num. 4. Fagundez præcept. 2. lib. 4. cap. 4. num. 61. Ambrosin. de immunit. cap. 10. num. 4. Layman. lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 2. Gauant. in addit. ad manual. Episcop. verb. Immunitas Ecclesiastica, num. 5. Villalob. in summ. tom. 2. tract. 39. diff. 5. num. 3. Sarpus de iure asylo. lib. 4. fol. 39. & Farinac. de carceribus, quæst. 28. num. 12. itavt pro dictorum passuum circuitu, nunc tali iure gaudeat tantum ambitus cæmeterij ab Episcopo deputatus. Vide Nauarum, Clarum, Sitar. in loc. supra cit. & Sanch. tom. 2. consil. moral. lib. 6. cap. 1. dub. 7.

Hinc sequitur, quod si quis confugiat ad domum

B Parochi

- Parochi, Canonici, vel alterius Ecclesiasticæ personæ, quin etiam & ipsiusmet Ecclesiæ, infra 30. passus ad Ecclesiam existentem, immunitate non gaudeat, præsertim si talis domus sit laico locata, vel ad emphyteusum concessa, sicuti notarunt Farinacius in *append. de immunit. cap. 16. num. 260. Mar. Ital. lib. 1. cap. 4. §. 6. num. 6. Oldrad. cons. 53. Nald. in sum. m. verb. Eccles. num. 7. & Peregrin. cap. 4. num. 27. Vide etiam Villalob. in sum. tom. 2. rr. el. 39. diff. 5. num. 3. & Nouarium in sum. Bullar. tit. de immunit. num. 15. Quamvis contrarium (etiam si dicta domus sit laico locata, vel ad emphyteusum concessa) non omnino improbabilius, & satis pie tradant Nauar. cap. 25. num. 18. Sanch. loc. supra cit. Lezana. num. 2. Decian. in trael. crimin. lib. 6. cap. 25. num. 16. Ambrosin. de immunit. cap. 10. num. 8. Bonac. tom. 3. disput. 2. quest. 3. punct. 16. §. 4. num. 7. Diana part. 3. trael. 1. resol. 71. Giurb. consil. 10. num. 12. Villagut. de extens. leg. tit. de extensione immunitatis Ecclesiarum, num. 86. & Chartarius decis. crimin. 46. num. 20. At, quidquid de hoc, illud tamen apud Barbofam in *Collectan. Bullar. verb. Immunitas*, à S. Congregatione Immunitatis declaratum reperio, quod scilicet immunitate gaudeat campana Ecclesiæ intra triginta passus ab ea distans, quæ solummodo pro Ecclesiæ vtu deseruit.*
- 13 An autem, si quis fugiens à Birruariis Ecclesiæ parietem ex parte exteriori tangat, vel amplectatur, Ecclesiæ immunitate gaudeat?
- 14 Negat Archidiaconus in *cap. unic. de relig. & vener. Sanct. in 6.* (quem sequuntur communiter Iuristæ) & nouissimè Sarpus de *iure asylosum*, cap. 4. fol. 41. ex eo, quia appellatione Ecclesiæ non venit pars parietis exterior, quæ viam publicam spectat: tum quia reus in tali casu non dicitur esse in Ecclesia.
- Affirmat autem Riccius in *prax. tom. 3. resol. 1560. num. 8. Bonac. de legibus, tom. 2. disput. 3. quest. 7. punct. 4. num. 5. Scipio de Rubens in Aphor. Episc. verb. Immunitas, num. 3. Nouarius in sum. Bullar. de immunit. num. 16. Trullench. in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dnb. 1. num. 4. & Diana part. 3. trael. 1. resol. 72. ex eo, quia ex l. quæ religiosis, ff. de rei vendicat. quæ religiosis adherent, religiosa censentur, & sic, quæ adherent sacris, sacra censeri debent, tum quia ex *cap. si super gratia, de offic. delegat. in 6.* accessorium sequitur naturam sui principalis: tum quia tandem priuilegium concessum Ecclesiæ, ex vi Canonum concessum est per 40. vel 30. passus, quapropter si hodie non seruatur, vt sic seruari saltem debere videtur quoad adherentiam parietibus Ecclesiæ, præsertim cum priuilegia immunitatis in dubio non sint restringenda, sed potius amplianda, & in dubio fauendum sit reo: quapropter hæc posterior sententia videtur mihi magis pia, & in praxi amplectenda, præsertim quia eadem fauent ea, quæ de apprehendende portas Ecclesiæ clausas *suprà sect. 6. corollar. 1. dicebantur*.*

SECTIO IX.

An eodem priuilegio gaudeat cæmeterium?

SUMMARIUM.

- 1 Cæmeterium etiam gaudet eodem immunitatis priuilegio, quo gaudet Ecclesia.
- 2 Distinctio nonnullorum, quod solum cæmeterium benedictum gaudeat immunitate, & cessatur.
- 3 Cæmeterium eo ipso, quod sepultura fidelium est destinatum, præsumitur benedictum, & auctoritate Episcopali sacrum.

- 4 Priuilegio immunitatis non solum cæmeterium, sed ostium, & porticus eius gaudent.
- 5 Cæmeterium gaudet immunitate, etiam si non sit benedictum ab Episcopo, sed à simplici sacerdote; quinimò etiam si a nemine sit benedictum, dummodo in ipso aliquis Christianus sepultus sit cum Ecclesiasticis officiis de licentia Episcopi.
- 6 Cæmeterium etiam pollutum, & interdictum, gaudet immunitate.
- 7 Dispositio facta in fauorem Ecclesiæ, censetur etiam facta in fauorem cæmeterij.
- 8 Ecclesiæ, & cæmeterium, cum sit Ecclesia accessorium, æquiparantur, & pari passu ambulant quoad sacrilegium, interdictum, & pollutionem.

Respondetur, quod eodem priuilegio, scilicet immunitatis Ecclesiæ, etiam gaudeat cæmeterium, atque ita contra Sarpum *cap. 4. fol. 42.* expresse habetur in *cap. fin. de immunit. Eccles.* & docent ibi Abb. Archidiaconus, Ioan. Andreas, Turrecremata, Archidiaconus, Imola, quos citat, & sequitur Farinacius in *append. de immunit. cap. 17. num. 262.* Item ex Theologis S. Antoninus *cap. 3. tit. 12. in princip. verb. Et cæmeteria earum*, Armilla *verb. Cæmeterium, num. 1. Suarez de relig. tom. 1. lib. 3. cap. 9. num. 8. Azor. part. 2. lib. 9. cap. 8. quest. 6. Fagundez. præcept. 2. lib. 4. cap. 4. num. 6. Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 7. num. 2. Villalob. in sum. tom. 2. trael. 39. diff. 5. num. 6. Palaus tom. 2. rr. el. 11. disput. unic. punct. 6. num. 16. Perlicus de offic. sacerdot. lib. 1. cap. 9. dub. 11. num. 97. Et ex Iuristis Tuschus *verb. Ecclesia, conclus. 10. num. 3. Decian. lib. 4. cap. 24. num. 21. Ambrosin. de immunit. cap. 10. num. 5. Mar. Italia lib. 1. cap. 4. §. 7. Germon. de sacrorum immunitate, lib. 3. cap. 16. num. 30. Peregrin. cap. 4. numer. 58. Mantica cons. 60. num. 8. Valascus tom. 1. cons. 58. num. 1. Bobadilla in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. numero 80. & Correa in relect. de immunit. part. 2. num. 12.**

An autem id intelligendum sit solum de cæmeterio contiguo, non item de separato?

Respondetur, quod (quamvis nonnulli, sicuti videre est apud Decianum *lib. 6. cap. 24. num. 28. & 30.* affirmant, in casu, quo non constet, hoc esse benedictum) tamen negandum mihi videatur, quia hoc ipso, quod sepultura fidelium est destinatum, licet sit separatum, præsumitur benedictum, & auctoritate Episcopali sacrum. Atque ita docent Nauar. *cap. 25. verb. Cæmeterium*, Farinacius in *append. de immunit. cap. 27. num. 264. Palaus tom. 2. trael. 11. disput. unic. punct. 6. num. 16. Diana part. 6. trael. 1. resol. 6. Georgius Ritherfusius de iure asylosum, cap. 12. Mar. Ital. de immunit. Ecclesiæ lib. 1. ap. 4. §. 7. n. 28. & seqq. Anastas. Germ. de sacror. immunit. lib. 3. num. 31. & seqq. & Bertach. in Repert. verb. Cæmeterium, n. 2.*

Et quod dico de cæmeterio, idem intelligas de ostio, & porticu eius, sicuti rectè præter alios docent Correa in *relect. de immunit. part. 2. num. 16. & Peregrin. cap. 4. num. 55. & 56.* qui rectè subdit, ex Farinacio, & Suar. *num. 7. Ambros. n. 5. Deciano cap. 25. Mar. Italia cap. 4. §. 7. num. 28. Gambacurta lib. 4. cap. 3. & aliis*, quod cæmeterium immunitate gaudeat, etiam si non sit benedictum ab Episcopo: sed à simplici sacerdote, quinimò etiam si a nemine sit benedictum, dummodo in ipsa aliquis Christianus sepultus sit cum Ecclesiasticis officiis de licentia Episcopi. Rectè subdit secundo, quod cæmeterium immunitate similiter gaudeat, etiam si sit pollutum, vel interdictum, vt *suprà de Ecclesia dicebatur*. Et ratio est, quia (cum contra Sarpum loco *suprà cit.* immunitas cæmeterij non fundetur solum in consuetudine, sed etiam in iure) quidquid ius disponit de Ecclesia, censetur disponere etiam de cæmeterio: quia Ecclesia

8 & cæmeterium (cùm sit Ecclesiæ accessorium) æquiparantur. Vnde quoad sacrilegium, interdictum, & pollutionem pari passu ambulant. Vide Paulum de Castro *conf.* 441. & Tufchum de *visitat.* lib. 1. cap. 12. num. 7. & 8.

esse erectum (vt si verbi grati institutum sit sub nomine alicuius Sancti, & visitetur ab Episcopo) priuilegio immunitatis gaudeat. Vide etiam Dianam, & Ciarlinium in locis *supra cit.*

SECTIO X.

An eodem priuilegio gaudeat hospitale, vel quid simile?

SVMMARIVM.

- 1 Hospitale auctoritate Episcopi, cum altari ad celebrandum erectum gaudet Ecclesiastica immunitate. Item dic de omni alio loco, qui canonico iure sacer, vel religiosus censetur.
- 2 Hospitale auctoritate Episcopi, & cum altari ad celebrandum erectum est locus sacer, & religiosus; ita vt ad profanos vsus conuerti non possit.
- 3 Priuilegia omnia, quæ Ecclesiis conceduntur, conceduntur etiam huiusmodi hospitalibus.
- 4 Amplia quod hospitale gaudeat immunitate Ecclesiastica erectum auctoritate Episcopi tantum, licet in eo non sit altare ad celebrandum, neque campanile, neque Ecclesia, sufficit enim erectum esse sub invocatione alicuius sancti, & visitari ab Episcopo.

Respondetur, quod eodem priuilegio gaudeat hospitale auctoritate Episcopi, & cum altari ad celebrandum erectum (idemque dico de omni alio loco, qui Canonico iure sacer, vel religiosus censetur:) atque ita contra Sarpum etiam *cit.* cap. 4. fol. 42. colligitur ex cap. ad huc, de religiosis domibus, ex cap. ligna, dist. 1. de consecrat. & ex cap. definitum 17. quæst. 4. & docent communiter Doctores, & consuetudo confirmat, & probatur; quia hospitale sic erectum, est locus sacer, & religiosus, ita vt ad profanos vsus conuerti non possit: quapropter omnia priuilegia, quæ conceduntur Ecclesiis, conceduntur etiam huiusmodi hospitalibus, l. omnia, Cod. de sacros. Eccles. & ex communi sententia Doctorum docet Innocentius, & Abbas in cap. penult. de immunit. Eccles. Decian. lib. 6. cap. 25. num. 18. Sylu. verb. Immunitas 3. num. 1. Nauar. cap. 25. num. 17. & 18. Barboza de iure Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 67. & 68. Lezana verb. Immunitas Eccles. num. 2. Tufchus verb. Ecclesia, conclus. 10. num. 2. Scortia theor. 385. Raphaël de la Torre tom. 2. in 2. 2. quæst. 99. art. 3. Layman lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 3. Palaus tom. 2. tract. 11. disput. unic. punct. 6. num. 17. Farinac. quæst. 28. num. 36. & 37. & in Append. de immunit. num. 265. & 266. Sayr. lib. 3. de censur. cap. 29. num. 16. Gambacurta lib. 4. cap. 4. Filliucius tract. 15. cap. 6. quæst. 5. num. 150. Mar. Italia lib. 1. cap. 4. §. 8. Couarru. lib. 2. varia. resol. cap. 20. num. 4. Suar. lib. 3. cap. 9. num. 3. & 9. Sanchez lib. 9. de matrim. disput. 15. num. 39. & in opus. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 7. num. 2. Megalius in 3. part. lib. 4. consil. 2. quæst. 2. num. 37. Villalob. in summa, tom. 2. tract. 39. diff. 5. n. 2. Georgius Ritherfusius de iure asylo- rum, cap. 12. Spec- tellus decis. 55. num. 19. Ciarlinius discept. forens. cap. 116. num. 7. Diana part. 6. tract. 1. resol. 6. Perlicus de offic. sacerdot. lib. 1. cap. 9. dub. 11. num. 97. & Peregrinus de immunit. cap. 4. num. 69. vbi ex Paulo de Castro *conf.* 458. lib. 2. & ex Cardinali Tufcho satis probabiliter subdit id verum esse, etiam si in hospitali auctoritate Episcopi erecto altare non sit, ita vt hospitale, licet in ipso non sit campanile, neque altare, neque Ecclesia, si tamen ex aliis signis colligitur auctoritate Episcopi Thom. Delbene, de Immunit. Eccl. Pars II.

SECTIO XI.

An eodem priuilegio gaudeant domus Religiosorum?

SVMMARIVM.

- 1 Domus, Conuentus, Monasterium Religiosorum secundum totum septum, hoc est claustrum, dormitorium, horius, domus familiarium, animalium, & similia, gaudent immunitate.
- 2 Loca recensita, cum Ecclesiæ adhereant, loca sacra reputantur ad effectum immunitatis, sedus ad effectum pollutionis.
- 3 Grangia Religiosorum, hoc est parua domus ipsorum, quæ sunt veluti spatia, & membra Monasterij, & subiacent potestati, & iurisdictioni Monasterij, in sententia aliquorum gaudent immunitate, quod tamen est controuersum.
- 4 Item priuilegium immunitatis extenditur ad cellulas, domus, hortulos, balnea, & septa Ecclesiæ, & Monasterij, sed minus recte.

Respondetur, quod eodem priuilegio etiam gaudet domus, Conuentus, seu Monasterium Religiosorum: patet ex Bulla Gregorij XIV. ibi: *Monasterijs, domibus, locisque sacris, vel religiosis.* Addo, hoc priuilegium extendi ad totum septum, ita vt comprehendantur claustrum, dormitorium, hortus, domus familiarium, animalium, & similia, quia hæc omnia, cùm adhereant Ecclesiæ, ad effectum immunitatis loca sacra, & religiosa reputantur, etsi non reputentur ad effectum pollutionis, vt *supra* dicebam, & contra Sarpum *cit.* cap. 4. fol. 42. habetur expresse ex l. pateant, Cod. de his, qui ad Eccles. *conf.* in illis verbis: *Quidquid fuerit interiacens, siue in cellulis, siue in domibus, hortulis, balneis, a que porticibus, confugas interioris templi iure tueantur.* Item colligitur ex cap. 2. de consuetud. ex cap. si quis contumax, ex cap. frater, & ex cap. minor 17. quæst. 4. & docent præter Syluestrum verb. Immunitas 3. Doctores, quos citant, & sequuntur Sanch. de matrim. lib. 9. disput. 15. num. 41. & Farinac. in Append. de immunit. cap. 17. num. 268. Item docent Palaus tom. 2. tract. 11. disput. unic. punct. 6. num. 18. Peregrin. de immunit. cap. 4. num. 58. & in compendio priuileg. verb. Immunitas. Raphaël de la Torre tom. 2. in 2. 2. S. Thom. quæst. 99. art. 7. disput. 7. Georgius Ritherfusius de iure asylo- rum cap. 12. Portellius in dubio Regular. verb. Ecclesia immunitas. Lezana eod. verb. num. 3. Nauar. cap. 25. num. 17. Correa in relect. de immunit. part. 2. num. 2. & seq. Bonacin. tom. 2. disput. 3. quæst. 7. punct. 4. num. 10. Idem docent Rodriguez in 99. regul. tom. 2. quæst. 75. art. 2. Villalob. in summa, tom. 2. tract. 39. diff. 5. num. 6. & Diana part. 6. tract. 1. resol. 6. qui id extendunt etiam ad Grangias Religiosorum, id est, ad paruas domus Religiosorum, quæ sunt veluti spatia ipsorum, & membra Monasterij, quæ subduntur potestati, & iurisdictioni Superioris Monasterij, cuius sunt Grangia: quamvis contrarium sentiat Egidius Trullenchi. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 1. num. 6. quoad Grangias, & non improbabili- ter: item Barboza de iure Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 73. etiam quoad cellulas, domus, hortulos, balnea, & septa Ecclesiæ, & Monasterij, sed minus recte; sicuti

B 2 conuinci

conuincitur ex iuribus *supra cit.* & præcipue ex *cit. l. pareant, Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* Quamvis quod subdit Barbosa *num. 74. & 75.* nempe domos, seu villas ab Ecclesiis separatas, quas Religiosi causa recreationis habent, immunitate non gaudere, satis probabile mihi videatur.

SECTION XII.

An eodem priuilegio gaudeat Oratorium?

SUMMARIUM.

- 1 Oratorium auctoritate Episcopi erectum gaudet immunitate, secus est, si sit erectum priuata auctoritate, ut sunt in priuatorum domibus, & confraternitatibus, etiam si in ipsis Missa celebretur de licentia Episcopi.
- 2 Oratoria, quæ priuata auctoritate eriguntur, priuata auctoritate ad vsus profanos conuerti possunt, etiam si de licentia Episcopi in iis celebretur.
- 3 Loca sacra semel Deo dicata, ad vsus profanos conuerti amplius non possunt.
- 4 Episcopus in oratoriis priuatis non habet ius visitandi, nec exigendi procuracionem.
- 5 Oratoria, quæ auctoritate Episcopi erecta sunt, eo ipso cultui diuino in perpetuum sunt deputata, ita ut amplius ad vsus profanos conuerti non possint.
- 6 Episcopus habet ius visitandi, & procuracionem exigendi, & ipsius iurisdictioni subsunt oratoria eius auctoritate erecta.
- 7 Oratorium in dubio quomodo probetur erectum esse Episcopi auctoritate.

- 1 Respondetur, quod eodem priuilegio etiam gaudeat oratorium, si auctoritate Episcopi (secus si auctoritate priuata, ut sunt Capellæ priuatorum Prælatorum, oratoria in priuatorum domibus, & nonnulla oratoria Confraternitatum; etiam si in iis Missa de licentia Episcopi celebretur, & etiam si illa contra Henriquez, & Peregrinum de *immunit. cap. 4. num. 58.* alicui Ecclesiæ, vel Monasterio adhæreant) erectum sit. Atque ita declarauit sacra Congregatio Episcop. in vna Marficensi die 17. Nouembris 1617. & sacra Congregatio immunitatis in vna Perusina, die 9. Decembris 1631. & ex communi docent Abbas *cap. Ecclesia, de immunit. & cap. ult. de censib. Clar. lib. 5. q. 30. num. 7.* Decian. *lib. 6. cap. 25. num. 19.* Couarr. *lib. 2. var. resolut. cap. 20. num. 4.* Silu. *verb. immunitas 3. numero 1.* Nauar. *cap. 25. num. 17. & 18.* Barbosa de *iure Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 67. & 68.* Lezana *verb. immunitas Eccles. num. 2.* Farinacius in *Append. de immunit. cap. 17. num. 267.* Gambacurta *lib. 4. cap. 1.* Peregrin. *num. 62.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 3. cap. 9. numero 10.* Filliucius *tract. 15. cap. 6. quest. 5. num. 150.* & Sanchez *de matrim. lib. 9. disput. 15. num. 39.* Et probatur, quia quæ priuata auctoritate eriguntur, priuata auctoritate ad vsus profanos conuerti possunt (etiam si de licentia Episcopi in iis celebretur;) ergo non sunt loca sacra (loca enim sacra semel dicata, ad vsus profanos redire amplius non possunt, *cap. ad hæc, de religiosis domibus.*) Quapropter in priuatis oratoriis non habet Episcopus ius visitandi, nec exigendi procuracionem, *cap. fin. de censibus.* Econtrà verò, quæ auctoritate Episcopi erecta sunt, eo ipso cultui diuino in perpetuum sunt deputata, & sic loca sacra censentur,

ita ut amplius ad vsus profanos conuerti non possint, ipseque Episcopus ius habeat visitandi, & procuracionem exigendi, & iurisdictioni ipsius subdantur, *cap. 1. §. deinde liceat, de censibus in 6.* Vide quæ *supra, cap. 2. dub. 2.* dicebantur.

Cæterum in dubio, quando præsumatur oratorium erectum auctoritate Episcopi, quando non, vide *cap. presentibus, de priuilegiis.* Sanchez de *matrim. lib. 9. disput. 15. num. 19.* Decianum *lib. 6. cap. 25. n. 16.* Mascardum de *probat. conl. 869. n. 1. & 2.* vide etiam quæ *cit. dub. 2. sect. 7.* dicebantur.

SECTION XIII.

An eodem priuilegio gaudeat domus Clericorum in communi viuientium.

SUMMARIUM.

- 1 Domus Clericorum in communi viuientium, et Patres Oratorij, sancti Philippi Nerij, Patres Doctrinæ Christianæ, &c. Domus Seminarij, domus puellarum, vel orphanorum, & similes, si scilicet (vti dicebam) auctoritate Episcopi fundatae sint, quia tunc censentur loca sacra, pia, seu religiosa: patet ex Bulla Gregorij XIV. ibi: *Monasterijs, domibus, locisque sacris, aut religiosis: & passim ita docent Doctores, quos citat, & sequitur Genuensis in praxi, cap. 17. num. 10.* Diana *part. 6. tract. 1. resolut. 1.* & Peregrinus *cap. 4. num. 67.* Idemque dicas de Discipulatorum, seu Confratrum oratoriis alicui Ecclesiæ, vel Monasterio affixis, quia hæc loca etiam censentur sacra, pia, seu religiosa: Doctores, quos citat, & sequitur Peregrin. *n. 64.*

Respondetur, quod eodem priuilegio etiam gaudeant domus clericorum in communi viuientium, ut Patres Oratorij, sancti Philippi Nerij, Patres Doctrinæ Christianæ, &c. Domus Seminarij, domus puellarum, vel orphanorum, & similes, si scilicet (vti dicebam) auctoritate Episcopi fundatae sint, quia tunc censentur loca sacra, pia, seu religiosa: patet ex Bulla Gregorij XIV. ibi: *Monasterijs, domibus, locisque sacris, aut religiosis: & passim ita docent Doctores, quos citat, & sequitur Genuensis in praxi, cap. 17. num. 10.* Diana *part. 6. tract. 1. resolut. 1.* & Peregrinus *cap. 4. num. 67.* Idemque dicas de Discipulatorum, seu Confratrum oratoriis alicui Ecclesiæ, vel Monasterio affixis, quia hæc loca etiam censentur sacra, pia, seu religiosa: Doctores, quos citat, & sequitur Peregrin. *n. 64.*

SECTION XIV.

An eodem priuilegio gaudeat Palatium Episcopi.

SUMMARIUM.

- 1 Palatium Episcopi gaudet eodem immunitatis priuilegio.
- 2 Palatium Episcopi gaudet immunitate, etiam mortuo, vel absente Episcopo, dummodo tamen Palatium non sit alteri locatum.
- 3 Palatium Episcopi si distet extra 40. passus per circuitum Ecclesiæ Cathedralis, non gaudet immunitate, secus si sit intra passus 40.
- 4 Palatium Episcopi non debet ab Ecclesiâ distare, sed illi esse contiguum.
- 5 Palatium Episcopi si distet ab Ecclesiâ, non gaudet immunitate, præsertim si non habeat oratorium, in quo sacrum celebretur: sed contraria sententia est magis tuta in praxi.
- 6 Consuetudo, quæ iuri communi non aduersatur, breui tempore potest introduci.
- 7 Palatium Episcopi licet distet ultra 40. passus ab Ecclesiâ, dummodo habeat sacellum, seu oratorium, in

in quo celebretur, gaudet immunitate.

- 8 **A**mplia quod Palatium Episcopi licet non habeat sacellum, & oratorium, in quo celebretur, & distet ultra 40. passus ab Ecclesia, gaudet immunitate.
- 9 **P**riuegium immunitatis Palatio Episcopi conceditur in reuerentiam, & decorem dignitatis Episcopalis, qua est suprema dignitas in Ecclesia.
- 10 **F**amilia Episcopi laica gaudet priuegio fori.
- 11 **C**ausa immunitatis primo, & per se est fauorabilis, non solum ratione Ecclesie, sed etiam ratione rei.
- 12 **C**ausa immunitatis non est restringenda, sed potius amplianda, praesertim quia in dubio standum est semper pro Ecclesia.
- 13 **P**alatium Episcopi, ubi reperitur, quando etiam transiit visitando Prouinciam, gaudet Ecclesiastica immunitate, in sententia nonnullorum.
- 14 **C**anones statuantes Palatium Episcopi debere esse contiguum Ecclesie, quoad hoc hodie recesserunt ab usu, & merito, quia editi fuerunt in antiquis temporibus, quando Clerici habitabant simul cum Episcopo, quod hodie locum non habet.
- 15 **O**pinio Cutellij reuocatur.
- 16 **B**ulla Gregoriana nullam facit mentionem de Palatijs Episcoporum, facit tamen mentionem de loco sacro, & religioso.
- 17 **P**alatium Episcopi venit appellatione loci sacri, & religiosi, licet sacellum non habeat, & multo magis si habeat.
- 18 **P**ena, & elemosyna pro pijs operibus relicta possunt pro fabrica Palatii Episcopi applicari.
- 19 **P**alatijs Episcopi nomine venit etiam seminarium annexum, quoniam & furnus, & quaecumque alia domus ipsius seminarij.
- 20 **P**alatium Episcopi extra propriam Dioecesim non gaudet immunitate; quia Episcopus ibi nullam habet auctoritatem, nec potest Pontificalia exercere.
- 21 **P**alatia Cardinalium contra nonnullos in sententia Diana non improbabilius gaudent immunitate.
- 22 **P**alatium Episcopi titularis non gaudet immunitate, at oppositum non improbabilius tenet Diana.
- 23 **F**amilia laica Episcopi titularis gaudet priuegio fori.

Responderetur, quod eodem priuegio etiam gaudeat Palatium Episcopi, atque ita habetur in cap. id. constitutum 17. quesi. 4. ex Concilio Aurelianensi 1. cap. 3. ibi: Id constituimus obseruandum, quod Ecclesiastici canones decreuerunt, & lex Romana constituit, ut ab Ecclesia atrijs, vel domo Episcopi reos abstrahere omnino non liceat, & docent communiter Doctores, uti testatur Couarr. lib. 2. var. resol. cap. 20. Quod verum est, etiam si Episcopus absens, vel mortuus sit (modò non sit Palatium alteri locatum) sicut rectè docent Farinacius in Append. de immunit. Eccles. cap. 17. n. 270. & Mar. Italia de immunit. Eccles. lib. 1. cap. 4. §. 9. num. 4. vide etiam Azorium tom. 2. lib. 9. cap. 8. Layman. lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 3. & Antonium Nouarium in summa Bullarum, tit. de immunit. Eccles. fasc. n. 10.

Et quamvis nonnulli (inter quos Innocent. in cap. inter alia vers. seu alij, de immunit. Eccles. Anton. de Butrio num. 9. Ananias num. 10. Turrecremat. in cit. can. id. constitutum, num. 117. Oldrad. consil. 55. Cutellius de immunit. Eccles. lib. 1. quesi. 27. Decianus lib. 6. cap. 25. Thom. Delbene, de Immunit. Eccl. Pars I I.

num. 14. Clarus in loco infra citando, Bobadilla in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. num. 85, qui in gloss. lit. C. ex Couarru. lib. 2. var. cap. 20. num. 5. de communi praxi testatur, Piafeci in praxi Episcop. part. 2. cap. 4. art. 8. num. 2. Sarpus de iure asylosum, cap. 4. fol. 41. & Bonacina dist. 3. quesi. 7. de immunit. §. 2. num. 8.) id limitent, ut intelligatur de Palatio Episcopi existentis intra 40. passus per circuitum Ecclesie Cathedralis, ex eo quod Palatium Episcopi non debeat ab Ecclesia distare, sed illi esse contiguum, cap. Episc. de consecrat. dist. 3. & cap. Episcopus, dist. 41. quapropter si distet, non debet tali priuegio gaudere, praesertim, si non habet oratorium, in quo sacrum celebretur: tum ex eo, quod (uti testantur Couarru. cit. cap. 20. num. 5. Clar. §. fin. quesi. 3. num. 2. Decian. & Bonac. in locis supra citatis, etsi contrariam sententiam inter Doctores communem commendent cum Abbate in cap. penult. n. 9. de immunit. Eccles. Couar. & Clarus ubi supra citati) consuetudine iam sic receptum sit, praesertim si (ut dicebatur) non adit oratorium, in quo sacrum celebretur.

Nihilominus si consuetudine contra Tridentinum, & Gregorij XIV. Constitutionem legitime praescripta, reuera iam sic receptum non sit, quam consuetudinem, cum iuri non aduersetur, breuiori tempore introduci posse notauit Suar. tom. 1. de relig. lib. 3. cap. 9. num. 9. in fin. & improbabile non esse dicebatur supra dub. 6. dicendum mihi videtur, quod Palatium Episcopi dicta immunitate gaudeat, etiam si ultra 40. passus ab Ecclesia Cathedrali distet, in casu scilicet, quod Capellam, seu Oratorium (ut regulariter solet habere) habeat. Et probatur ex eo, quia saltem ratione oratorij est locus sacer.

Atque ita ex communi sententia Doctorum (quam, uti dicebam, commendant cum Abbate Couarru. & Clarus in locis supra cit.) docent Gl. in cit. cap. d. constitutum, Abb. Archidiaconus, Ioan. Andreas, Zabarella, Hostiensis, Barbat. cons. 33. num. 7. lib. 4. Remigius de immunit. ampliat. 15. quos citat, & sequitur Farinacius in Append. de immunit. cap. 17. num. 273. Item & ita docent Ambrosin. de immunit. Eccles. cap. 10. num. 7. Anastas. Germon. de sacrorum immunit. lib. 3. n. 16. num. 45. & seqq. (qui idem sentit, etiam si Episcopus duo Palatia habeat, motus ex eo, quia textus in cit. cap. id. constitutum, loquitur absolute.) Azor. part. 2. lib. 6. cap. 8. quesi. 5. Fagundez precept. 2. lib. 4. ap. 4. num. 60. Pericus de offic. sacerdot. lib. 1. cap. 9. dub. 11. num. 97. Mar. Ital. de immunit. lib. 1. cap. 4. §. 9. num. 1. & sequent. Acuña in decret. Gratiani, part. 1. dist. 87. cap. 2. num. 2. Correa relect. de immunit. part. 2. num. 19. Alzedus in praxi Episcop. part. 1. cap. 12. num. 77. Peregrin. cap. 4. num. 69. Megalius in 3. part. lib. 4. cap. 2. quesi. 1. num. 36. Villadieg. in polit. cap. 3. numero 201. (qui id extendit ad Oratorium Palatii) Franc. Leo in thes. fori Eccles. part. 1. cap. 13. num. 14. Gambacurt. de immunit. lib. 4. cap. 3. num. 7. Diana part. 1. tract. 1. resol. 27. Giurba cons. 10. num. 13. Antonius Nouarius in summa Bullarum, tit. de immunit. Eccles. num. 10. Bellet. part. 1. tit. de fauore clericorum reali, §. 4. num. 35. Ciartinius controuers. forens. cap. 116. num. 4. Barbosa de vniuers. iure Eccles. tom. 2. cap. 3. num. 70. Gauantus in Enchir. Episc. verb. Immunitas Ecclesiast. Ioan. Domin. Tasson. in pragmat. de Antef. o. vers. 13. obseru. 3. n. 31. & consentiunt Decian. & Bonac. in locis supra cit.

Quinimò quod gaudeat, etiam in casu, quo Capellam, seu Oratorium non habeat, satis probabiliter probatur ex eo, quia expressè, & sine ulla limitatione in cit. c. id. constitutum, conceditur Palatio Episcopi tale priuegium: quapropter, ut potè primò, & per se fauorabile, & pium, limitandum, & ad Palatium Oratorium, seu Capellam habentia restringendum

non est: tum quia dictum priuilegium non conceditur Palatio Episcopi, quia Palatium Episcopi canonice deputatum sit diuinis officiis, ut per se patet; neque quia Ecclesie adhaereat, tanquam aliquid illius, ut Cimiterium, Sacristia, atrium, &c. quia sic ceteris domibus etiam competere: ergo conceditur in reuerentiam, & decorem dignitatis Episcopalis (quae est suprema dignitas in Ecclesia; quapropter, ut dicebam *cap. 4. dub. 15.* tota familia Episcopi laica, gaudet priuilegio fori,) & sic etiam in casu, quo distat ab Ecclesia Cathedrali ultra 40. passus; & etiam in casu, quo Capellam, seu Oratorium non habeat, quia propter adhuc rationem dictam sacer, religiosus, vel pius locus censetur.

Quod inde confirmatur primo; quia si Capellam, seu Oratorium habet, conceditur ei tale priuilegium in communi sententia (ut supra dicebam) sed non ob Capellam, seu Oratorium, cum sit priuatum: ergo solum ob Episcopalem dignitatem, cum sic etiam sacer, religiosus, vel pius locus censetur.

Confirmatur secundo, quia causa immunitatis est primo, & per se fauorabilis, non solum ratione Ecclesiae, sed etiam ratione rei: ergo ex hoc capite etiam non est restringenda, sed potius amplianda, praesertim quia in dubio standum est semper pro Ecclesia, & pro reo. Vide Riccium in *prax. part. 2. resol. 42. num. 2.*

Atque ita contra Ambrosinum *loc. supra cit.* & Elifaeum Danza *cap. 2. de immunit. Eccles. num. 1.* docent Nauar. *cap. 25. num. 18.* Tuschus *verb. Ecclesia, concl. 9. num. 11. & concl. 10. num. 8.* Suar. *tom. 1. de relig. cap. 9. n. 9.* Farinac. *de carcerib. q. 28. num. 38. & in append. de immunit. cit. cap. 17. num. 272.* ubi citat Archidiaconum. Item ita docet Mar. Italia *num. 4. & 13.* (ubi id extendit ad Palatium Episcopi, ubi reperitur, quando in visitatione per suam Diocesim transcurrit, quod etiam docent Farinacius *cit. cap. 17. num. 270.* & Diana *part. 6. tr. 6. l. 1. resol. 4.* etsi non consentiat, & satis probabiliter, saltem de consuetudine, Peregrinus *de immunit. r. 4. n. 79.*)

Item ita etiam docent Gambacurta, Diana, Ciarrlinius, Giurba, & ceteri fere omnes Doctores, quos supra citabam.

Vnde patet responsio ad fundamentum oppositum aduersariorum, nempe quod licet Palatium Episcopi ultra 40. passus ab Ecclesia Cathedrali existat contra debitum ius, non tamen propterea immunitate priuari debeat, si à consuetudine reuera priuatum non sit, uti supra dicebam, quia non quidquid sit contra ius, tollit immunitatem à iure concessam. Adde ex Mario Italia *cit. §. 9. num. 1.* & Peregrino *cit. cap. 4. num. 78.* quod Canones quoad hoc hodie aboleuerint, ut patet in Cæremonialia Romano Clementis VIII. *cap. 2.* ubi supponitur, quod Episcopus habere possit Palatium in loco distante ab Ecclesia Cathedrali: & merito, quia Canones illi editi fuerunt in antiquis temporibus, quando clerici habitabant simul cum Episcopo, & ideo præcipiebant, quod Palatium Episcopi non abesset ab Ecclesia maiori; quod hodie, cum clerici dispersim habitent, locum non habet.

Quapropter ex his facile reiicitur Cutellius *loco supra cit.* quatenus Palatium Episcopi, quamvis capellam habeat, immunitate, si ab Ecclesia Cathedrali ultra 40. passus distans sit, non gaudere contendit; ex eo, quia in *cit. can. Episcopus, de consecrat. dist. 3. & cap. Episcopus 41.* ab ea non distare debere præcipitur. Respondetur enim illud non distare debere, præcipi, non ad finem, ut immunitate gaudeat, tanquam quid Ecclesie adhaerens, vel tanquam quid illius, cimiterium, sacristia, atrium, &c. quia sic ceteræ domus etiam gaudent; sed ad alium finem, qui nunc cessauit, ut modo dicebam: quapropter argumentum Cutellij nihil concludit. Quod si cum eodem Cutellio urgeas

Bullam Gregorij XIV. de locis confugij locutam non fecisse mentionem de Palatio Episcopi; quæ Bulla per nos, ius ciuile, & municipale, priuilegia, Doctorum interpretationes, & consuetudines omnes corrigendo, omnia ad unicam formam reduxit; & sic non esse, cur Palatio Episcopi ab Ecclesia Cathedrali ultra 40. passus distante, praesertim si capellam non habeat, priuilegium immunitatis tribuatur. Respondetur facile Bullam dictam, licet mentionem non fecerit de Palatio Episcopi, fecisse tamen mentionem de loco sacro, & religioso, ibi: *Super abducendis, vel extrahendis ab Ecclesiis, Monasteriis, sacellis, domibus secularibus, & regularibus, locis sacris, vel religiosis, alias quam, &c.* Appellatione autem loci sacri, vel religiosi venit, utpote locus pius, Palatium Episcopi, etiam si capellam non habeat, & multo magis si habeat: quod inde patet, quia pœnæ, & elemosynæ pro pijs operibus relictæ, possunt pro fabrica Palatii Episcopi applicari, sicuti docent Doctores communiter, quos citat & sequitur Suar. *de relig. tom. 2. lib. 4. c. 30. n. 19.*

Cæterum nomine Palatii Episcopi venit etiam Seminarium annexum, quin & turnus, & quæcumque alia domus ipsius Seminarij, utpote loci pij, in quibus propterea reus immunitate gaudet, etiam si ad aliquem istorum locorum confugerit per portam aliam ab illa, per quam Seminarista Seminarium ingrediuntur, ut recte notauit Genuensis in *praxi, c. 22. num. 10.*

An autem Palatium Episcopi immunitate gaudeat, etiam extra Diocesim Episcopi?

Respondetur negatiue, quia Episcopus extra suam Diocesim nullam habet auctoritatem, nec Potest Pontificalia exercere: quapropter non videtur, quod tali Palatio Episcopi immunitas competat (si non de iure, propter canones, & rationes supra adductas, quæ generaliter omni Palatio Episcopi immunitatem competere, probare videntur) saltem de consuetudine, etiam post Gregorianam introducta; quin & fortasse etiam de iure, quia in tali casu Palatium Episcopi, utpote locus non pius, non videtur locus sacer, & religiosus esse. Accedit, quod (ut mox infra dicitur) neque gaudent immunitate nunc Palatia Cardinalium: ergo, &c. Atque ita docent Peregrinus *de immunit. cap. 4. num. 73.* Marius Italia *lib. 1. cap. 4. §. 9. num. 19.* Ciarrlinius *controu. forens. lib. 1. cap. 10. num. 10.* & Antonius de Marinis *quotidian. resol. cap. 180. n. 12.* Quamvis oppositum non improbabiler doceat Diana *part. 4. tract. 1. resol. 40.*

Ex dictis sequitur, quod immunitate neque gaudeat Palatium Episcopi Titularis, propter eandem rationes iam dictas. Atque ita in terminis docet Ciarrlinius *loco supra cit.* Quamvis & quoad hoc, oppositum non improbabiler etiam doceat Diana *part. 6. tract. 1. resol. 5.* praesertim quia sacra Immunitatis Congregatio pluries (ut idem Diana *cit. resol. 5.* refert) decreuit, quod familia laica Episcopi Titularis priuilegio fori gaudeat, & nos dicebamus *cap. 4. dub. 17.*

SECTIO XV.

An eodem priuilegio gaudeant Palatia Cardinalium?

SUMMARIUM.

1 Palatia Cardinalium, siue in Vrbe, siue extra Vrhem existant, non de iure, sed de consuetudine, gaudent immunitate.

2 Consuetudo

2. Consuetudo propter quam Palatia Cardinalium gaudebant immunitate, sublata est ex constitutionibus Gregorij XIII. & Sixti V. licet nonnulli teneant dictam sublationem factam fuisse tantum pro Vrbe, non autem pro aliis locis.
- Palatia Supremorum Principum, & Oratorum eorum gaudent immunitate ciuili.
3. Reus ad supplicium ductus, si casu ei obuiam factus Cardinalis pileum suum imponi ei faciat, in sententia nonnullorum Doctorum liberandus est a morte, & mitiori pena puniendus.
4. Limita nisi crimen, ob quod reus fuisset condemnatus, esset de atrocissimis, ut crimen falsi, læsæ Maiestatis Diuina, vel humana, proditiōis Patriæ, & simile.
5. Cardinalis, an casu, vel data opera in reum sic ad supplicium ductum incidere standum est eius dicto, sine alio iuramento.
6. Cardinalis quod potius extra Urbem, quam in Vrbe habeat talem facultatem dicendum est, & præcipue extra statum Ecclesiasticum.
7. Cardinales Regibus equiparari debent.
8. Cardinales non debent esse deterioris conditionis, ac erant olim apud Romanos Flamines Diales & Virgines Vestales, ob quos fontes non plectebantur.
9. Rationes Cutellij in oppositum diluuntur.
10. Consuetudo potest etiam introduci contra Bullam Gregorianam de immunitate, maxime si sit in fauorem immunitatis, & consentientibus Principibus secularibus.
11. Palatia Cardinalium etiam in Vrbe annexa Ecclesiis suorum titulorum gaudent de iure Ecclesiastica immunitate, in sententia Auctoris.
12. Cardinales in fauoribus, & gratiis Episcopis comparantur.
13. Cardinalis ob offensam indicitur Civitati sedis Episcopalis amissio, & comparatur Pontifici.
14. Palatia Legatorum Pontificis apud Imperatorem & Reges gaudent immunitate Ecclesiastica si non de iure, saltem de consuetudine.

Respondetur, quod eodem priuilegio etiam gaudeant Palatia Cardinalium, siue in Vrbe, siue extra Urbem existant; non quidem de iure (cū nullum id statutum reperiatur) sed de consuetudine rationabiliter introducta, ex eo, quia si gaudet Palatium Episcopi, multo magis videntur gaudere debere Palatia Cardinalium, præsertim si Capellam, seu Oratorium habeant. Nauarr. cap. 25. num. 18. in fin. Tusch. verb. Ecclesiæ conclus. 9. num. 12. Decian. tract. crimin. lib. 6. cap. 25. num. 15. in fin. Clarus præf. crim. §. fin. quest. 30. vers. item adde. Sanchez in opuscul. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 7. num. 2. Iacobatus de Conciliis lib. 1. fol. 38. col. 1. lit. A. Cucchus in instit. can. lib. 2. tit. 4. num. 91. Manfredus tit. de Cardinal. decis. 147. & cap. 8. priuileg. 14. Barbosa de iure Ecclesiæ lib. 1. cap. 4. num. 80. & Mar. Ital. de immunitate Ecclesiæ lib. 1. cap. 4. §. 9. mon. 22.

2. At modò talis consuetudo (si quando viguit) constitutionibus Gregorij XIII. & Sixti V. sublata est (vti testatur Farinacius de carcerib. quest. 28. num. 48. & in Append. de immunit. cap. 17. num. 274. Duardus in Bull. Cæna lib. 2. cap. 15. quest. 16. num. 12. Gambacurti lib. 4. cap. 5. Lezana verb. immunitas Ecclesiæ. num. 1. & Zecchius de Republ. Christi. tit. 3. de Card. n. 9. priuileg. 9.) forsitan propter abusus qui ex illa nascebantur. Quamvis Marius Italia de immunit. lib. 1. cap. 4. §. 9. num. 22. & 23. Peregrin. cap. 4. num. 75. in fin. Diana part. 1. tract. 1. resol. 37. Barbosa de iure Ecclesiastico, lib. 2. cap. 3. num. 71. & Antonius de Marinis quoridian. resol. cap. 180. num. 12. non improbabiler sen-

tiant, quod dicta sublatio facta sit pro Vrbe tantum, non item pro aliis locis, præsertim extra statum Ecclesiasticum existentibus.

Hinc sequitur, quod immunitate neque gaudeant Palatia Oratorum supremorum Principum, quia hæc non sunt loca sacra; tum quia immunitas Ecclesiastica huiusmodi Palatiis nullibi concessa reperitur, quantumvis extra Urbem gaudere videantur immunitate ciuili, ob reuerentiam supremi Principis, cuius personam representant; ex violatione tamen istius immunitatis ciuilis censura non incurritur; quia censura imposita est ob violationem immunitatis loci sacri. Vide Nauarrum cap. 25. num. 18. & Sanchez tom. 2. consil. moral. lib. 6. cap. 1. dub. 7. qui supponunt, Palatia Regum, & Imperatoris, cæterorumque supremorum Principum immunitate ciuili gaudere, non sic domus Magnatum inferiorum. Vide etiam quæ dicuntur infra, sect. 17.

Cæterum non desunt Doctores, qui sentiant, quod si reo, qui ad supplicium ducitur, Cardinalis obuiam factus, pileum suum imponi ei faciat, à morte reus liberandus sit. Atque ita docent Baldus in l. addictos, Cod. de appellat. & communiter Iuristæ, quos affert Clarus in præf. crim. lib. 5. §. fin. quest. 98. num. 5. (quantumvis ipse si casus contingat, sentiat, quod possit pena mortis mitigari, & reus ad trémes transmitti; & hoc, nisi crimen, ob quod ille fuisset condemnatus, sit de atrocissimis, ut crimen falsi, læsæ Maiestatis Diuina, vel humana, proditiōis patriæ, & simile. Item ita docent Decianus tom. 2. lib. 7. cap. 37. num. 27. Lancellotus in Templo Iud. lib. 2. cap. 2. de Cardinal. §. 3. num. 30. Anastas. Germonius lib. 3. cap. 6. num. 52. (quamvis ipse hanc sententiam teneat, quando Cardinalis casu, non autem data opera in reum incidit, cui sine iuramento in hac re credendum esse ait.) Item ita docent Villadieg. in l. de Cardinalib. quest. 13. numer. 64. Lorichius in Thesaur. verb. Cardinales, §. 7. Cucchus instit. Can. lib. 2. tit. 4. num. 85. Zecchius de Republ. Christianast. 3. de Cardinalib. num. 9. priuileg. 7. Barbof. de iure Ecclesiæ lib. 1. cap. 4. num. 61. Danza in pugna Doctorum de qualitate officialium, cap. 1. num. 1. 16. & Albanus de Cardinal. quest. 47. Contra Farinacium in fragm. crimin. part. 1. num. 631. Corsetum verb. Cardinalis, & Barbatiam tract. de Cardinal. quest. 9. num. 1. & seqq.

Quod (sicut & illud, quod Mar. Italia, Peregrinus, Diana, Barbofa, & Antonius de Marinis dicunt de Palatiis Cardinalium, gaudere scilicet ista immunitate etiam nunc, extra Urbem tamen, & præcipue extra Statum Ecclesiasticum) verum arbitror ob rationem supra dictam, vbi tale priuilegium Cardinalium (qui teste Claro loco supra cit. Regibus equiparantur) consuetudine obseruari reperitur, præsertim quia valde rationabile videtur; cū non debeant Cardinales esse deterioris conditionis, ac erant olim apud Romanos Flamines Diales & Virgines Vestales, quarum auctoritas tanta erat, quod si quis ad vapulandum traheretur, & supplex ad Flaminem procumberet, non vapularet, authore Gellio lib. 10. cap. 15. vel si quis ad capitale supplicium duceretur, & casu transisset aliqua Virgo Vestalis, non necaretur.

Obiicies ex Cutellio cit. quest. 27. num. 19. Bulla Gregorij XIV. ius commune, municipale, priuilegia, Doctorum interpretationes, & consuetudines omnes corrigendo, omnia per nos reduxit ad vnicam formam; ergo non est, cur etiam per nos locum habeat nunc talis consuetudo.

Respondetur, distinguo antecedens: omnia reduxit ad vnicam formam, ita vt contra dictam Bullam non possit introduci consuetudo in contrarium, saltem in fauorem immunitatis, & maxime consentientibus Principibus secularibus, negoti-

ita vt possit, concedo. Vide quæ dicebantur dubitat. 6.

- 11 Cæterum arbitror, quod Palatia Cardinalium (etiam in Vrbe) de iure, ex capite Episcopus, de consecrat. distinct. 3. & ex capite Episcopus, dist. 41. immunitate gaudeant, & huic iuri cit. Constitutio Gregorij XIII. & cit. Constitutio Sixti V. non præiudicet, si Palatia ipsorum adhæreant Ecclesiis suorum titulorum, & suæ dignitatis (ad eum modum, quo dicebam *sect. præced. de Palatijs Episcoporum*) quia in ordine ad has Ecclesias Cardinales habent iurisdictionem, ac se habent tanquam Episcopi, & ex alio capite Cardinales in fauoribus, & gratis Episcopis comparantur, capite felicis, ad finalia verba, de panis, vbi
- 12 ciuitati sedis Episcopalis amissio ob Cardinalis offensam indicitur, & vbi Pontifex sibi illos comparat. Vide Barbosam de vniuers. iur. Eccles. tom. 2. cap. 3. n. 71. Cutellium de immunit. Eccles. lib. 1. quest. 37. & Gambacurtam lib. 5. cap. 4. num. 5. & lib. 4. cap. 5. qui sub-
- 14 dunt quod & immunitate gaudeant Palatia Legatorum Pontificis apud Imperatorem, & Reges, si non de iure, saltem de consuetudine, etiam post Gregorianam, rationabiliter introducta, cum personam summi Pontificis repræsentent.

SECTIO XVI.

An eodem priuilegio gaudeat Tabernaculum Sanctissimæ Eucharistiæ?

S V M M A R I V M.

- 1 Tabernaculum Sanctissima Eucharistia gaudet immunitatis priuilegio, si actu illam habeat, & sacerdos illam portans incedat per Plateam.
- 2 Confugiens ad cœtum fidelium comitantem Sanctissimum delatum ad infirmos, seu processionaliter, licet non tangat hastam Baldachini, gaudet immunitate, non de iure, sed de consuetudine.
- 3 Comitantes sanctissimam Eucharistiam sunt tanquam Ecclesia animata.
- 4 Immunitatis extensio ad Comitantes Sanctissimum est valde pia, & probabilis; cum corpus Christi sit longe dignius, quin immo ratio, & fundamentum, cur immunitas locis sacris, ac Religiosis concedatur.
- 5 Priuilegium ad non expressa per consequentiam trahi non debet. Communicans, & intra os habens Eucharistiam non gaudet immunitate.
- 6 Priuilegium extendi potest ultra casum expressum ex voluntate priuilegiantis rationabiliter præsumpta, præsertim Principibus secularibus consentientibus.
- 7 Confugiens ad sacerdotem deferentem Eucharistiam, eumque tangens, vel intra domum infirmi, vbi est Eucharistia, vel comitantibus se immiscens, gaudet immunitate.
- 8 Præsentia Sanctissimi sub speciebus sacramentalibus videtur facere locum sacrum, & Religiosum.
- 9 Vbi est Papa, ibi est Roma, seu Curia Romana.
- 10 In locis refugij per Bullam Gregorianam assignatis, quia sumus in fauorabilibus, licet arguere ex paritate, vel maiori ratione.
- 11 Confugiens ad sacerdotem deferentem oleum sanctum ad infirmos, eumque tangens, non gaudet immunitate.
- 12 Oleum sanctum non solum non est Sacramentum simpliciter, sed tantum materia Sacramenti.
- 13 Sacramentum extrema unctionis consistit tantum in

actuali unctione infirmi cum actuali prolatione forma verborum.

- 14 Confugiens ad sanctorum Imagines, vel reliquias, quæ per plateas processionaliter deferuntur, non gaudet immunitate.
- 15 Sacerdos induens costam & stolam ante crucem ad effundendum Defunctum, non potest capi, saltem de consuetudine à satellitibus.
- 16 Reuerentia eadem, quæ competit Ecclesiæ, quæ Domus Dei est, videtur multò magis competere sacerdoti.
- 17 Amplia multò magis procedere si sacerdos costam & stolam induens deferat oleum sanctum, vel Eucharistiam ad infirmos.
- 18 Sacerdos ita captus interrogatus ab Episcopo de aliquo delicto, non tenetur respondere, sed debet allegare nullitatem capturæ, & potest non legitime captus.

Respondetur, quod eodem priuilegio etiam gaudeat tabernaculum Sanctissimæ Eucharistiæ, si actu illam habeat; quin & sacerdos illam portans (etiam si non sit in cubiculo infirmi, sed per plateam: & etiam si reus ad eum confugiens, neque sacerdotem, neque hastam baldachini tangat) & corona hominum, cum sit veluti Ecclesia quædam animata (quæ sacerdotem, qui illam portat, comitatur) ita vt qui confugit ad vnum istorum, seu inter istos Eucharistiæ Sacramentum comitantes se intermiscet, securus sit tanquam si ad Ecclesiam confugisset) non quidem de iure, cum nusquam etiam id statutum reperitur, sed de consuetudine piæ, & meritò, etiam post Gregorianam, introducta; ex eo, quia si Ecclesia gaudet tali priuilegio ob reuerentiam Sanctissimæ Eucharistiæ in ipsa existentis, multò magis gaudere debet tabernaculum Eucharistiæ, si actu illam habeat, quin & sacerdos, qui illam portat, & corona hominum quæ sacerdotem, qui illam portat, tanquam Ecclesia quædam animata comitatur. Quapropter consuetudo hic spectanda est, & secundum illam casus decidendus, præsertim cum in fauorem immunitatis inclinatur, quia talis extensio valde pia, & rationabilis est, cum corpus Christi sit longe dignius quocumque loco sacro, & religioso, quin tale, cui nulla res præferri debet, capite multi, quest. 5. & ratio, & fundamentum, cur immunitas locis sacris & religiosis concedatur, vt supra dicebam. Quamvis nonnulli cum Glof. in cap. questum 13. quest. 2. (ex eo, quod de hoc nihil in iure expressum reperitur, & priuilegium ad non expressa per consequentiam trahi non debeat) contrarium doceant, & Couar. var. resol. lib. 2. cap. 20. num. 6. dubius maneat. His adde, quod communicans, & intra os habens Eucharistiam, non gaudet immunitate, ex communi sententia Doctorum, teste Farinacio in loco mox infra citando, num. 276. ergo multò minus gaudebit confugiens ad Sacerdotem Eucharistiæ Sacramentum deferentem, vel ad alium illud in vase, vel in alio retinentem.

Contrarium tamen iuxta iam dicta mihi magis placeat, vt scilicet reus in tali casu ab Ecclesia defendatur, si sic fieri sit consuetudo, quam saltem, vt potest immunitati fauorabilem, posse etiam post Gregorianam introduci, supra dicebam. Quapropter ad glossam respondeo cum Abbate in loco infra cit. quod priuilegium extendi possit ultra casum expressum, ex voluntate priuilegiantis rationabiliter præsumpta, præsertim Principibus secularibus consentientibus. Et ad illud, quod dicitur de communicante. Respondetur disparitatem esse, quia tunc Eucharistia non se habet per modum venerationis, sed per modum sacramenti sumpti. Vide Archidiaconum in cit. cap. questum. Abb. in cap. sanè, num. 2. de celebrat. Missar. Marth. de iurisd.

risdict. part. 2. cap. 50. in fin. Clarus §. fin. quest. 98. num. 2. Sà verb. Ecclesia immunitas, num. 1. Marium Italia de immunit. lib. 1. cap. 4. §. 10. num. 8. Peregrinum cap. 4. num. 19. Dianam part. 1. tract. 1. resol. 28. Tuschum verb. Ecclesia, conclus. 10. num. 3. Suarez 1. tom. de relig. lib. 3. cap. 9. num. 10. Covarr. cit. cap. 20. num. 6. Farinacium de carcerib. quest. 28. num. 11. & in append. de immunitat. cap. 17. num. 275. Anastas. Germon. de sacr. immunit. lib. 3. capite 26. numero 51. & Petr. Gregor. Syntag. iuris libro 3. capite 21. numero 14.

7 Aduerte tamen, quod reus in dicto casu immunitate gaudeat simpliciter. Docent, & satis probabiliter Sylu. verb. Immunitas 3. n. 1. Angel. eodem verb. quest. 28. Miranda de ordin. iud. tom. 1. quest. 15. art. 5. concl. 2. Nauarr. capite 25. num. 10. Tanner. in 2.2. disp. 5. quest. 8. dubit. 1. num. 14. Graff. in decif. part. 2. lib. 1. cap. 1. numero 32. Rodriguez in Sum. tom. 1. cap. 155. num. 1. Raphaël de la Torre tom. 2. in 2.2. quest. 99. art. 3. disp. 7. Megalius in 3. part. lib. 4. cap. 2. quest. 11. art. 1. Lezana vers. immunitas Eccles. num. 2. Gambacurta de immunit. lib. 4. cap. 6. num. 4. Ioan. de Heuia in Curia Philipp. part. 3. §. 12. num. 8. Ceuallos in tract. de cognitione per vim violent. part. 2. quest. 42. & alij multi, quos citat Bobadilla in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. num. 86. & in gl. lit. S. contra Gloss. in cit. capite questum 13. quest. 2. tum propter reuerentiam tanti Sacramenti, tum quia illud dignius est quocumque templo, Basilica, 8 vel Ecclesia, sicuti supra dicebam; tum quia praesentia Sanctissimi sub Speciebus Sacramentalibus videtur facere locum sacrum, & religiosum: nam si vbi est Papa, ibi est Roma, seu Curia Romana, non est, cur vbi est praesentia Sanctissimi sub speciebus Sacramentalibus, ibi non sit locus sacer, & religiosus, cui immunitatem conuenire patet ex iuribus, & nouissime ex Gregoriana.

9 Accedit, inquit ipsi, quod licet in casibus exceptis non liceat argui ex iis ad alios casus ex paritate, vel maioritate rationis, liceat tamen in locis refugij per Bullam Gregorianam assignatis, argui ex iis ad alia loca ex paritate, vel maioritate rationis; ex eo, quia in priori casu sumus in odiosis, & vbi exceptio fit per particulam tantum, in posteriori autem sumus in favorabilibus, & vbi designatio locorum refugij fit sine particula, tantum.

10 Aduerte secundò, quod è contra, si reus confugiens ad sacerdotem, qui Oleum sanctum ad infirmos portat, eum tangat, & quantumvis tangat, immunitate non gaudeat, vt ex communi docet Gambacurta lib. 4. cap. 6 & Riccius part. 3. decif. 88. num. 5. & meritò; quia iura loquuntur tantum de Ecclesiis, & cæmeteriis, Doctores autem tantum de Sacerdote, 11 qui Eucharistiam portat. Confirmatur, quia Oleum sanctum non solum non est Sacramentum ita dignum, vt est Sacramentum Eucharistiae (contiens in se gratiam & auctorem omnis gratiae,) sed nec etiam est Sacramentum simpliciter, sed tantum materia Sacramenti, & tantum quid Sacramentale; cum Extrema - Vnctionis Sacramentum consistat tantum in actuali Vnctione infirmi cum actuali prolatione formæ verborum. Vnde multò minus gaudebit reus immunitate, si confugiat ad solum ipsum sacerdotem, 12 quin Episcopum, eum apprehendendo, vel ad Sanctorum imagines, & Reliquias, quæ per plateas processionally circumportantur.

13 Quamvis contrarium, scilicet ex consuetudine, etiam post Gregorianam introducta, vel etiam de

iure, desumpto argumento à paritate, vel maioritate rationis (satis piè doceat Ludouicus Correa in relect. ad caput inter alia, de immunit. Eccles. part. 2. num. 25. Vide etiam Locatellium in Bremario de tonsura, inspect. 5. num. 164. vbi non improbabiler subdit, quod sacerdos cotta & stola indutus (extra Ecclesiam, præcedente cruce ad efferendum defunctum verbi gratia tendens) non possit de licentia Episcopi à satellitibus capi; itaque coram Eminentissimo Vicario Urbis anno 1614. decifum fuisse testatur. Et ratio 15 esse potest, quia eadem reuerentia, quæ debetur Ecclesiae (quæ domus Dei est) videtur multò magis competere ipsi Sacerdoti (qui viuum templum est, ad Corinth. 1. capite 3. & tradit Victoria de potest. Eccles. quest. 1.) saltem pro ipsomet Sacerdote, dum in habitu Sacerdotali diuina ministrando, & Ecclesiastica officia exequendo Christum Dominum repræsentat, eiusque vices gerit. Quod multò magis procedit, si 16 sacerdos cotta, & stola indutus deferat Sacramentum Extremæ - Vnctionis, vel Eucharistiae ad infirmum. Quapropter in his casibus interrogatus sacerdos ab 17 Episcopo de aliquo delicto, propter quod captus fuerat, non tenetur ad mentem illius respondere, sed potest, vt pote illegitimè captus, capturæ nullitatem obicere.

SECTIO XVII.

An eodem priuilegio gaudeant statux Principis? Vbi etiam de eius Palatio.

SVMMARIVM.

- 1 Confugiens ad statuas Principis gaudet Priuilegio immunitatis.
- 2 Immunitas, qua gaudent confugientes ad statuas Principis, non est sacra, sed politica, quia nec est à Pontifice, nec ob reuerentiam diuini cultus.
- 3 Immunitas à statuis Principum hodie sublata est propter abusum, qui sequebantur.
- 4 Palatia supremorum Principum, & Oratorum eorum gaudent immunitate civili.

RESPONDetur, quod eodem priuilegio etiam gaudeant statux Principis, ad quas similiter si quis 1 confugit, securus sit, ac si ad Ecclesiam confugisset. Atque ita expresse statuitur in l. unic. Cod. de his, qui ad statuas confugiunt, & in l. 1. C. de his, qui ad Ecclesias confugiunt, & in l. capi e alium, §. ad statuas, ff. de penis, & docent Hostiensis, Anchar. Ioan. Andreas in cap. Ecclesie, de immunit. Eccles. & Petr. Gregor. loco supra cit. n. 11. & 12. Vide etiam Tuschum verb. Ecclesia, concl. 9. n. 4. Decianum tract. crimin. lib. 6. cap. 2. num. 5. & Farinacium de carcerib. quest. 28. num. 49. & in append. de immunit. c. 17. num. 278. Verum hæc immunitas, quamvis vigeat, sacra non est, sed politica, quia non est introducta à Pontifice, nec in reuerentiam diuini cultus, sed in honorem 2 humani Principis, quapropter si violetur, non incurritur censura. Adde, quod modò consuetudine talis immunitas sublata sit, propter abusum, qui inde exoriebantur, teste Tuscho, Deciano, & Farinacio in locis supra cit. Cæterum, quid dicendum sit de Palatiis Regum, 3 Imperatoris, aliorumque supremorum Principum, item de Palatiis Oratorum eorum, & de domibus Magnatum inferiorum, patet ex dictis supra, & ex iis, quæ dicebantur sect. 15. num. 2.